Ritter

1741

Diss. jur. civ.
450,50

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

REGULÆ
INTERPRETATIONIS
JURIDICÆ
PRÆSTANTIORES,
EX ADÆQUATIS PRINCIPIIS
DEMONSTRATÆ,
ET AD CASUS CIVILES APPLICATÆ;
ACCEDIT
EXERCITATIO ACADEMICA
DE
INDOLE ET REQUISITIS
VALIDÆ RENUNCIATIONIS,
STUDIO

CAROLI AUGUSTI RITTERI
ADV. ELI SAXON. IMMATR. ET JUR. PRACT. LIPS.

LIPSIÆ,
LITTERIS TAKKIANIS.

J. 1. 637.

IMP. JUSTINIANUS

De Conceptione Digestor. §. 12. 13.

Non liceat juris peritis verbositate sua codicis compendium confundere, quemadmodum in antiquioribus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias, totum jus pene conturbatum est. Ne autem per scripturam aliqua imposterum fiat dubitatio: Jubemus non per simplorum captiones & compendiosa ænigmata quæ multas per se & per suum vitium antinomias induxerunt, ejusdem codicis textum conscribi &c. sed per litérarum consequentiam explanari concedimus.

VIRO
ILLUSTRI, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,
DOMINO
D. JOANNI AUGUSTO Hölzel
A STERNSTEIN,
COMITI PALATINO CÆSAREO,
POTENTISSIMO REGI POLONIARUM
ET ELECTORI SAXONIÆ A CONSILIIS AULÆ ATQUE
JUSTITIÆ,
SCABINATUS ADSESSORI GRAVISSIMO,
CIVITATIS PATRIÆ PRO-CONSULI
SPECTATISSIMO
RELIQUA.
UT ET
VIRO
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO,
CONSULTISSIMO,
DOMINO
D. JOANNI FLORENTI RIVINO,
JCTO CELEBERRIMO,
COD. IN ACADEMIA LIPSIENSI PROF. PUBL.
AMPLISS. FACULTATIS JURIDICÆ
ADSESSORI SPECTATISSIMO,
REVERENDI CAPITULI NUMBURGENSIS ET WURZENSIS
CANONICO, HUJUSQUE SENIORI.
RELIQUA.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DOMINIS
ATQUE PATRONIS SUIS,
PERENNI OBSERVANTIÆ CULTU
DEVENERANDIS.
DULCI, PATERNÆ QUONDAM
AMICITIÆ AC NECESSITUDINIS RE-
CORDATIONE PERMOTUS,
HONORIS AC PIETATIS CAUSA,
QUALEQUALE HOC OPUSCULUM
EA, QUA PAR EST ANIMI DEMIS-
SIONE DICAT DEDICATQUE.

AUTOR.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/6
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

§. I.

MEntem, ſententiam ac voluntatem alterius ex ejus ſermone, & ubi hic obſcuritate aut ambiguitate laborat, ex hujus circumſtantiis concludimus, quæ ratiocinationis ſpecies, Interpretatio, atque ſi ejus objectum ſunt enunciationes juridicæ, juridica audit. Enunciationes autem juridicæ ſunt, quæ circa jura & obligationes hominum efferuntur. Adeoque *Interpretatio juridica eſt Ratiocinatio, qua ex enunciatione juridica, ejusque circumſtantiis, mentem ſententiamve proferentis concludimus.*

§. II.

Omnis enunciationis rectitudo atque perfectio conſiſtit in determinata ejuſdem quantitate & qualitate, ſeu adæquata univerſalitate & particularitate, affirmatione & negatione, qua ſcil. nec plura nec pauciora, nec generaliora nec ſpecialiora verba ponuntur, quam quæ ad exprimendas notiones rebus convenientes ſufficiunt; per log. Ergo & enunciationis juridicæ rectitudo in eo vertitur, ſi talia ponantur verba, quæ notiones ac mentem loquentis diſtincte & adæquate exprimunt. Vitia quapropter notionum atque enunciationum ſunt α) *Obſcuritas, qua id quod exprimitur, nullo modo concipere, intelligere & ab aliis diſtinguere valemus;* β) *Ambiguitas, qua iſtud pluribus modis ac ſenſu vario accipi poteſt.* vid. Godofred. ad l. 39. ff d. pact.

§. III.

Quando in ſolis vocabulis & verborum connexione deprehenditur obſcuritas, eorundem declaratio *ex uſu loquendi & regulis grammaticis facienda*, quæ *Interpretatio declarativa ſ. verbalis nominatur. In dubio igitur communem loquendi uſum, ſive proprium & maxime uſitatum verborum ſignificatum ſequimur*. l. 69. ff. d. legat. 3. l. 7. §. 2. ff. d. ſuppellect. leg.

Ita multa legum tam latinarum, quam germanicarum vocabula, maxime antiquiora, ignaris & tyronibus declaranda veniunt, v g. quid in jure romano ſignificent As, uncia, Inſtrumentum, Superficies, Solum, Tignum, pauperiem facere, Municeps, Incola, Forenſis &c. Item in legibus germanorum & Saxon. voces: Affter-Lehn, Lehnträger, Buſſe, Erbzinnß, kriegiſcher Vormund, Kummer, Mußtheil, Nifftelgerade, Schwerdtmagen, Spillmagen, Urgicht, Urfehde, Wehrgeld, Weichbild ꝛc. Ejuſcemodi terminorum, formularum, phraſiumque expoſitioni inſerviunt, latinis, Tit. ff. d. Verb: & rer. Significat. germanis, Wehneri, Beſoldi, Speidelii, Fritſchii aliorumque lexica juris.

§. IV.

Circumſtantiæ ſunt ſenſiones ſeu Adjuncta, quæ circa rei exiſtentiam quoad objectum, ſubjectum, locum, tempus, cauſam, modum, alinque connexa obverſantur; atque cum rei exiſtentiam vel antecedant, vel comitentur vel inſequantur, in *antecedentia, concomitantia & conſequentia* diſtinguuntur. Potiora ſunt, quæ ipſius loquentis indolem & affectus, cauſam impulſivam atque finem, materiam denique ſubſtratam ſeu enuntiationis objectum ejusque a legibus ac uſu communi jam determinatam naturam, jurave & obligationes eo regulariter connexas reſpiciunt. Attenta igitur harum maxime circumſtantiarum conſideratio erit habenda.

Nota

Not. *Cauſa impulſiva ſ. ratio movens* eſt repræſentatio boni aut mali, quatenus voluntatem ad agendum movet atque determinat. Iſte vero effectus, quem actione noſtra exiſtere cupimus, *Finis* dicitur. Inde ſimul patet, repræſentationem ejus, quod fine intendimus, adeoque notionem ipſius finis, in notione cauſæ impulſivæ ſimul contineri. jg. infra §. 6.

§. V.

Ex dictis facile colligitur, non ſolum ipſa enunciationis ambiguæ verba ac terminos, *ſubjecta & prædicata iſtius* exprimentes, *ſed & alias ejuſdem orationis propoſitiones clariores, propoſitionem ambiguam antecedentes aut conſequentes, probe attendendas atque ponderandas, eoque notiones ambiguas & obſcuras ex aliis connexis notionibus magis determinatis & clarioribus eſſe evolvendas atque declarandas.*

Hac ratione quæſtionem ex §. 14. Ord. cambial. Lipſienſ. antea multum controverſam: an ſcil. Creditor cambii ad nundinas Lipſienſes directi, ſolutionem, finitis ſtatim campanæ ſignò nundinis, rigore cambiali exigere queat, an vero diem ſolutionibus nundinalibus ordinaire dicatum, den ordentlichen Zahl-Tag der Meß-Zahl-Woche expectare teneatur? *beneficio propoſitionum connexarum* enodare poteris. Connectuntur nimirum in d. §. 14. ſequentes propoſitiones:

1) Das der gewöhnliche Zahl-Tag die Verfall-Zeit der endlichen Zahlung und Proteſte ſey.

2) Daß dieſer Tag zur endlichen exaction oder proteſtation verordnet ſey.

3) Daß es bey dem Churfürſtlichen Deciſiv-Befehl d. a. 1669. (dacinnen gleichfalls der Zahl-Tag als Terminus der Verfallzeit in der Zahlung, ſo wohl der Proteſte in Wechſel-Brieffen, geſetzet wird,) ſein Verbleiben habe.

4) Daß jedoch jeden frey ſtehen ſolle, die Zahlung derer ordentlichen Meß-Wechſel auch die erſten und folgende Tage

der Zahl-Woche zu thun ꝛc. Quatenus igitur in 1. 2. & 3. enunciatione, dies iſte, Terminus ſolutionis extremus, die Verfallzeit und Terminus der endlichen Zahlung, ſo wohl derer Proteſte &c. iterumque in §. 25. d. Ord. cambial. Der Verfall-Tag und endliche Zahl-Termin auf welchen die Bezahlung præciſe geſchehen ꝛc. oder ſonſten, der Creditor nach Wechſel-Recht dieſelbe zu ſuchen, Macht haben und befugt ſeyn ſolle, dicitur; eatenus patet, eum eſſe terminum, quo Debitor cambial. ſolutionem neceſſario præſtare, & Creditor eandem cum effectu petere atque exigere poteſt, adeoque ante iſtius adventum, ſolutionem quidem moneri, non vero rigore cambiali exigi poſſe. Quatenus porro in 4ta enuntiatione debitoris arbitrio relinquitur, etiam primis ſecundæ hebdomatis diebus ſolutionem faciendi; ad id vero quod alicujus arbitrio relinquitur, is invitus cogi nequeat, ſeu quod voluntatis eſt non poſſit eſſe neceſſitatis; eatenus iterum liquet, Debitorem cambialem primis iſtis diebus ad ſolvendum haud poſſe compelli. vid. omnin. Magnif. Dn. D. Rivini Diſſert. lectu digniſſimam, de Clauſula cambial. Lipſ. 1725. hab. §. 15. Ceterum quia Ord. Camb. Lipſ. tantummodo circa debita cambialia diſponit; ſequitur, eandem ad debita executiva aliaque civilia haud eſſe proferendam, ſed ea primis ſtatim diebus poſt nundinas campanæ ſigno finitas exigi & cum effectu peti poſſe.

Ita porro memini, ſpectabilis cujuſdam Judicii Lipſ. Dominum Præſidem ex §. 3. Append. O. P. S. R. eam aliquando tenuiſſe opinionem, ac ſi in cauſis executivis quibusvis, etiam minutis ac levioribus, prima Citatio ſpatium ſaxonicum integrum continere deberet, atque etiam in uno alterove caſu mihi obveniente, ubi ſumma Documenti vix decem aut viginti Thaleros attingebat, ita ordinaſſe. Cum vero d. §. 3. Append. ſeſe ad Tit. IV. Ord. rec. expreſſe referat, ubi in §. 1. cauſæ leviores in genere a ſpatio Citationum ordinario præprimis ſunt exceptæ; non perſpicio qua ratione, habita iſtorum locorum inter ſe connexorum

nexorum diligenti collatione, talis interpretatio evenire potuit; Unde & ista praxis postmodum desiit, & nunc Citationes in causis qnoque, executivis minutis sub spatio 8. aut 14. dierum emitti observamus.

§. VI.

Cujusvis rei intimior cognitio procedit ex ejusdem ratione s. causa proxima, quæ in moralibus finis appellatur, cuive connexa est causa sic dicta impulsiva s. ratio movens; §. 4. Not. nam qui finem intendit, ea quoque intendere debet, que fini obtinendo maxime inserviunt. ax. moral. *Ergo & in enunciationibus juridicis, loquentis voluntas ex ratione ac fine ejus proximo optime cognoscitur, firmoque inde ratiocinio possumus concludere ad ea quæ in tali enunciatione aut plane non, aut non clare satis determinata sunt.*

§. VII.

Finis itaque enunciantis proximus & adæquatus est principium primum interpretandi enunciationes juridicas ambiguas, §. præced. Cum vero istarum ambiguitas ex eo descendat, si enuncians aut plura & generaliora, aut pauciora & specialiora verba quam quæ ad notiones ac mentem ejus exprimendam sufficiunt, adhibuerit, §. 2. Hinc priori casu verba plura & generalia, ad finem loquentis specialem & particularem restringenda, posteriori vero, pauciora ista & specialia, ad finem generaliorem & magis universalem extendenda veniunt; altera *Restrictivæ*, altera *Extensivæ Interpretationis* nomine venit. jg. B. Menck. ad ff. d. J. & J. §. 5. Unde simul veritas liquet & frequens applicatio axiomatum famosorum: quod scil. eadem juris ratio, eandem involvat dispositionem; cessante autem ratione, cesset quoque dispositio legis aut voluntatis juridicæ.

Nimirum *extensiva Interpretatione, verba enunciationis pauciora, specialia & angustiora fine, ad similes res atque casus,*

casus, ratione generali comprehensos proferuntur. Ita cum v. g. princeps urgente annona, frumenti exportationem prohibuerit, facile colligimus, ob rationem prohibitionis generalem, etiam farinæ & panium exportationem esse interdictam. Ita Potentissimus Saxonum Llator dispositionem Mandati d. a. 1724. von Aufborgen junger Leute ꝛc. qua personæ 25. annis minores, ex cambiis nulla ratione obligantur, quin & ejus quod Creditori sponte solverunt, condictionem intra quadriennium instituere possunt &c. ob rationis generalitatem ad fœminas quoque 25. annis minores (quarum mentio in d. Mandato facta non fuerat) extendit, per Rescript. Reg. d d. 18. Mart. 1727.

Contra vero in *restrictiva Interpretatione, verba enunciationis plura, generalia, & latiora sine, ita limitantur, ut ad eas tantum pauciores & particulares res atque casus, qui fini particulari vere subsunt, applicentur.* Ita in Novell. 115. §. 10. poena exhæredationis statuitur in filium si mimos & arenarios sequatur. Ratio est, quia ista professio existimationis maculam infert, eoque ipso familiæ ac parentum famæ quodammodo præjudicium fit. Cum igitur ratio ista specialis exulet, si ipse parens ejusdem fuerit conditionis; hinc quoque illa legis dispositio hoc casu omnino cessat. Sed cum in d. Nov. §. 6. filius exheres dicatur, si novercæ vel concubinæ patris se immiscuerit, facile patet, eandem dispositionem omnino extendendam esse ad casum ubi filius cum propria concubuerit matre; Nam ratio legis in gravitate injuriæ, parentis thorum violando posita, eo magis quoque ad incestum cum matre spectat. Hoc itaqne casu ubi verba d. §. 6. evidentissime pauciora ac specialiora sunt ratione, locus omnino erit interpretationi extensivæ; adeoque cum & eadem injuriæ gravitas respectu matris adsit, si filia incestum cum vitrico aut patre commiserit, ipsa quoque hæc ratio, dispositione generali §. 2. d. Nov. quæ gravem & inhonestam injuriam, generaliter ut causam exhæredationis legitimam pronunciat, jam contineatur; inde haud dubium erit, idem

exhæ-

exhæredandi jus qnoque competere matri adverſus filiam cum vitrico aut ipſo patre concumbentem. B. Beyer ad Inſt. de Exhæred. lib. poſ. 16. Diſſentit quidem Hopp. in Comment. ad J. d. lib. exher. §. 2. ſed absque ratione ſufficiente. Neque obſtat vulgaris illa, de odioſis haud extendendis, regula, quippe cujus inutilitatem infr. §. 15. monſtrabimus. Inconcuſſa vere & nulli exceptioni obnoxia conſiſtit regula jam demonſtrata: *quod cognita legis ratione vera & adæquata, firmo ratiocinio concludere valeamus ad caſus eadem comprehenſos aut non comprehenſos.*

Cum igitur ſecundum dicta, in extenſiva pariter ac reſtrictiva interpretatione, maxime ad ſimilitudinem ac diverſitatem rerum, caſuum atque rationum enunciationis juridicæ reſpiciendum ſit; hinc porro eluceſcit, quod ſumma extenſivæ ac reſtrict. interpretationis fundamenta, e philoſophorum omnino præceptis & indole rerum identicarum & diverſarum, ſimilium ac diſſimilium, correlatorum & contrariorum &c. repetenda veniant, ex qulbus & famoſa illa juris brocardica dimanarunt: *Similium, correlatornm, æquiparatorum, quatenus, ſeu ea, qua conveniunt, eandem eſſe naturam eademque jura;* & contra *Diſſimilium, contrariorum, diſparatorum, quatenus discrepant, naturam quoque ac jura eſſe diverſa.* vid. qnæ ad l. 41. ff. d. R. J. notavit Gothofredus, Carpz. P. 2. C. 13. D. 21. n. 2. 3. Severam itaque attentionem omnino merentur ea, in quibus rationes, res atque caſus legum vere ſimiles dici poſſunt atque identicæ, probe penſitando an iſta ſimilitudo ac paritas perfecte quoad eſſentiam, an ex aliqua tantum parte accidentali intercedat; & deprehendes, multa argumento cujusdam legis a DD. aſſeri, in quibus nulla, aut mere tantum accidentalis ſimilitudo intervenit. Exempla correlatorum ſunt emtor & venditor, merx & pretium, parentes & liberi, maritus & uxor, actor & reus &c. & in genere, quorum unum, rationem continet alteriüs. Wolff. Met. germ. §. 188. Inde beneficuim l. 2. C. d. reſc. vend. quamvis d. l. 2. tantummodo de venditore

& re veudita loquatur, recte a Commentatoribus ad emtorem quoque & pretium rei extenditur, cum utrinque correlatio & rationis æqualitas adſit. vid. Demonſtrat. noſtr. jurid. de Subhaſtat. §. 28. Si nile exemplum habes in l. 1. C. d. Cupreſſ. ex luco. l. 3. C. d. indict. viduit. & alibi paſſim.

§. VIII.a.

Regularum ac propoſitionum ſpecialium rationes continentur in regulis ac propoſitionibus generalioribus. Wolff. Metaph. germ. §. 107. Jam vero omnium legum humanarum rationes in Juris naturalis pariter ac Prudentiæ civilis generalioribus præceptis contineri conſtat; vid. Dn. D. Mülleri Natur und Völcker-Recht C. 19. §. 3. & 4. ſiquidem leges civiles media determinant, quibus fines Juris naturæ optime implentur; Id. c. l. Not. ad §. 3. Atque legum dubiarum explanationem, ex earundem maxime rationum cognitione procedere §. antec. 6. oſtendimus; *Proinde bonum legum interpretem, exacta principiorum tam Juris naturalis, quam Prudentiæ civilis cognitione pollere omnino debere, nemo non perſpicit.*

§. VIII.b.

Quandoque finis ſ. ratio in ipſa lege ac diſpoſitione juridica ſimul exprimitur; quandoque non, aut non ingenue & clare ſatis exponitur, adeoque ex reliquis circumſtantiis §. 3. memoratis, quarum cognitioni magnam partem inſervit hiſtoria temporis, ſtatus & nævorum reipublicæ, indoles & affectus Llatoris & procerum &c. colligenda ac eruenda venit. Ita multæ legum Romanarum obſcuræ aut palliatæ rationes, ex iſtius ævi hiſtoria ac reipublicæ Romanæ ſtatu nobis innoteſcunt, magnam interpretationi legum iſtarum ferentes opem. Omnino hic legi merentur ea, quæ Præcellentiſſ. D. D. Glaffey, Aul. Reg. Polon. Conſiliarius &c. in der Einleit. zur Bürgerl. Rechts-Gelehrſamkeit, de habitu

&

& rationibus legum romanarum, ex hiſtoria & ſtatu reipublicæ romanæ cognoſcendis, elegantiſſime expoſuit.

§. IX. *a.*

Cum igitur interpretatio juridica ſit ratiocinatio, adeoque certis nitatur regulis, ſine quarum applicatione vera interpretatio haud exiſtit; patet *interpretationem ſic dictam authenticam & uſualem veram non eſſe interpretationem, niſi quatenus dictis regulis exacte congruit.* Non penitus itaque, uti nonnulli opinantur, reprobanda eſt vulgaris iſta Diviſio, ſiquidem & JCtus, & uſus civium, & ipſe Princeps interpretationem ſuſcipere poteſt, regulis modo convenientem. jg. Magnif Leyſeri elegantiſſ. Diſſertat. de Superſtitione Juridica &c. Cap. 3. §. 2.

§. IX. *b.*

Quando finis ac ratio enunciantis non ſatis evidens eſt, aut ambiguitati voluntatis juridicæ tollendæ haud ſufficit; tum circumſtantiæ objecti ſeu materiæ ſubſtratæ potiſſimum interpretandi fundamentum præbent. §. 3. Scilicet aliunde conſtat, quodvis objectum juridicum ſuis attributis ſeu requiſitis naturalibus gaudere, quæ ex legum civilium determinatione ac uſus communis præſumtione, eidem ordinarie ineſſe vel adeſſe cenſentur, Struv. Exerc. J. C. 6. §. 23. atque iſta objecti naturalia quibusvis privatorum diſpoſitionibus, pactis, teſtamentis &c. niſi expreſſe ac evidenter fuerint mutata, regulariter ineſſe præſumuntur; cf. Demonſtrat. noſtr. jurid. de Subhaſtat. 1739. edit. §. 17. *unde & in juridicis enunciationibus, in dubio facienda erit interpretatio ſecundum materiam ſubſtratam, ſeu naturalia objecti a legibus uſuque communi jam determinata, ſive ut potius ad legum civilium normam, quam alia ratione aliquid fieri velit diſponens,* Carpz. P. 2. C. 45. D. 30. n. 9. *it. ut minimum recedatur a Jure communi;* Cap. 8. X. d. conſvet. jg. Barth. Hodog. Forenſ. p. m. 610.

Nimirum ex proprietatibus seu attributis materiæ substratæ communibus ac legalibus, certa formatur propositio, ex qua tanquam principio, ope ratiocinii legitimi, voluntas enunciantis ambigua determinatur. Exemplo sit chirographum quo Debitor solutionem distinctis terminis, nehmlich 100 Rthlr in 14. Tagen nach der nächstkommenden Leipziger Neu Jahr-Messe, 100. Rthlr. in 14. Tagen nach der Oster-Messe ꝛc. faciendam promiserat. Dubium emergit, an isti quaterdeni ab ultimo primæ hebdomatis die, da der Marckt ausgelautet wird, an potius a fine sequioris septimanæ solutionibus destinatæ, nach Ablauff der Zahl-Woche currere incipiant? Cum autem ex materiæ substratæ naturalibus constet, solutiones in nundinis promissas, non in prima sed sequiori hebdomate solutionibus dicatæ, ordinarie fieri & exigi posse; per l. un. C. d. nund. jg. Const. El. Sax. 30. P. 1. Inde vi oppositorum recte concluditur, solutionem post nundinas promissam, elapsa demum altera hebdomate posse urgeri, ideoque & hoc in casu terminum a quo computandum esse, von dem Ausgange der Zahl-Woche.

Ita quoque in codicillari quadam Dispositione, inter alia & hæc adjecerat testator: Ich will auch meiner Eheliebsten den Usumfructum von dem Erb-Antheile meines mit ihr erzeugten Sohnes, biß in dessen zurückgelegtes sechzehende Jahr, legiret haben, dargegen sie aber auch schuldig seyn soll, diesen ihren Sohn behörig zu unterhalten und zu erziehen ꝛc. Es soll ihr aber jedoch frey stehen und nachgelassen seyn, daferne sie angeregten Nießbrauch vor sich nicht zuträglich finden mögte, sich dessen zu begeben und von des Kindes Alimentation dadurch zu entledigen. Perceperat defuncto testatore usumfructum mater fere decem per annos & alimenta filio præstiterat, sed sumtibus illorum forte crescentibus, renunciare volebat usufructui & alendi oneri, cui vero filii tutor reclamabat, eo quod legatum semel agnoverit mater. Enunciatio testatoris in eo dubia est, an licentia sit matri, usumfructum ab initio statim, an facta quoque ejus agnitione &

sic

sic quovis tempore repudiandi? Ex fine, qui & matris & filii favorem respicit, nil certi potest definiri. Itaque cum enunciationis objectum sit legatum cum onere, interpretatio omnino facienda secundum naturalia objecti, legibus determinata, s. qua voluntas testatoris magis convenit juri communi, secundum quod *legatum & in genere jus cum onere conjunctum semel acceptatum, invito altero repudiare iterum non licet*, arg. l. 15. pr. ff. d. alim. leg l. 5. §. 1. d. leg 2. Prouti & in isto casu a senatu Academico Lips. Mens. Aug. 1732. judicatum est, hac addita ratione: Dieweil die hinterlassene Frau Wittwe, die Disposition ihres seel. Ehemannes agnosciret und den ihr darinnen beschiedenen Usumfructum erkieset, mithin ihrem facto nicht contraveniren kan ꝛc.

§. X.

Solent communiter pactis, contractibus, testamentis &c. speciales hinc inde restrictiones atque limitationes, ut conditio, modus, dies &c. accedere; vid. Tit. ff. d. condit. instit. it. Tit. de cond. & demonstr. Cum vero accessoria regulariter sequantur naturam principalis, & voluntatis juridicæ ambiguitas ex notionibus materiæ substratæ, & objecti naturalibus sit expedienda; §. 9.b. *Inde & ista conventionum accessoria, quatenus ambiguitate laborant, & ex fine enunciantis explicari nequeunt, optime tandem interpretaberis ex generalioribus & naturalibus objecti & pacti principalis.*

Ita in pactis dotalibus die 2. Januarii 1738. initis, promissioni dotis hæc addita legebatur conditio: Es verspricht hiernächst der Braut Vater seiner lieben Tochter 2000. Rthlr. zum Ehe-Gelde mit zu geben und solche dem Herrn Bräutigam den Tag nach der Hochzeit auszuzahlen; jedoch mit dieser Bedingung, daß daferne die Braut, als dessen künfftige Ehe-Liebste binnen 2. Jahren ohne erzeugte Leibes-Erben sterben sollte, sodann der Herr Bräutigam als künfftiger Schwieger-Sohn, die Helffte davon an 1000. Rthlr. an dem

Schwieger-Vater oder dessen Erben hinwiederum restituiren und zurückgeben solle ꝛc. Desponsatorum nuptiæ demum M. Jul. d. a. sequebantur, & uxore post annum mensesque novem sine prole demortua, istius pater restitutionem a Genere renuente postulabat. Quæstio igitur controversa in eo vertebatur: an tempus biennale, intra quod restitutio 1000. Rthlr. facienda, a tempore pactorum dotalium initorum, an vero consummati per copulam matrimonii sit computandum? Si enim a termino priori, scil. Januar. 1738. computatio fierer, biennium esset effluxum & restitutio peti haud posset. Cum autem ex fine hujus conditionis, qui soceri ejusve heredum favorem respicit, nihil hic definiri possit, quia favorem illius, in præjudicium generi haud convenit extendere; ergo *ex notionibus juvium & pactorum dotalium naturalibus & generalioribus etiam hic petenda erit interpretatio.* Jam vero constat quod omne jus mariti intuitu bonorum dotalium aliorumque uxoris, initium capiat ex tempore quo copula & thori conscensio facta est, Const. Elect. Sax. 19. P. 3. ibique Carpz. Def. 1 adeoque & obligatio ac onus isti juri connexum, (ex natura scil. correlatorum, vid. §. præc. 7. in fin.) eodem tempore incipit; Unde omnino consequitur, istud tempus biennale, ad quod dimidiæ dotis restitutio adstricta erat, a consummatis nuptiis, neutiquam vero ex die quo pacta dotalia sunt confecta, computandum, & hinc socri conditionem 1000. Rthlr. hoc casu omnino esse fundatam.

§. XI.

Ex § 9.b. simul patet, in contractibus, ubi alter contrahentium jus aliquod singulare, scil. quod a naturalibus contractus deflectit, prætendit, in dubio contra ipsum interpretationem esse faciendam, ita scil. ut minus recedatur a naturalibus contractus jure civili jam determinatis. Ita *in Contractu Emtionis-venditionis contra venditorem evictionem præstare nolentem, it. emtorem qui rei venditæ & acceptæ pretium*

non

non ſtatim ſolvere vult, in dubio pronunciandum erit. vid. Ludovici Doctr. ff d. contr. emt. §.

§. XII.

In omnibus enunciationibus dubiis, quæ pactis, renunciationibus, teſtamentis &c. continentur, ea in dubio interpretatio habenda, quæ determinationibus ac præſumtionibus legum magis convenit. §. 9.[b] Atqui leges per naturam præſumunt quemlibet ſibi magis ſuisque, quam aliis favere voluiſſe; vid. Puffendorff. Jur. Nat. & G. L. 2. C. 3. §. 14 & L. 4 C. 11. §. 2. 15. 16. prætereaque ex principiis pactorum naturalibus conſtat, jura quæ iisdem acquirere aut ſibi remitti intendit alter, ante pactum ſolis legibus aut non, aut non perfecte competere acquirenti, Id. L. 3. C. 4. §. 1. ſqq. adeoque in dubio potius non acquiſita aut remiſſa cenſeri; *Ergo in enunciationibus dubiis pactorum, renunciationum, teſtamentorum, interpretatio potius in favorem promittentis aut concedentis, it. renunciantis, hæredis ab inteſtato &c. quam alterius facienda erit.*

Hoc eſt quod vulgo dicunt: Neminem præſumi res & jura ſua facile jactare velle; per l. 25. ff. d. probat. *It. in conceſſivis & remiſſivis pro concedente & remittente potius interpretandum eſſe,* Carpz. P. 2. C. 17. D. 9. n. 20. Brunnem. ad l. 5. C. d. Suſcept. It. *renunciationes jurium eſſe ſtrictiſſimæ interpretationis,* per l. 31. C. d. transact. vid. Exercit. noſtr. de Indole & requiſit. validæ renunciat. § 22.

In dubio itaque magis pro debitore & promiſſore, quam creditore ac ſtipulatore interpretandum eſt. l. 38. ff. 18. l. 99. ff. d. Verb. obl. Ita cum quis prædium ſuum, cum uno æquorum jugo alteri vendiderit, ſed duo aut plura æquorum juga iſto in prædio aluerit, adeoque dubium ſit, quodnam ex pluribus debeatur emtori? id debetur, quod venditor intellexit, a. l. 34. ff. d. contr. emt.

§. XIII.

Dantur leges atque diſpoſitiones ſpeciales, exceptionem a regulis ac legibus generalioribus continentes, v. g. lex Saxon. qua ſucceſſio geradica ordinarie fœminis, proxima cognatione defunctæ junctis, tribuitur, eſt generalis; exceptio vero & ideo lex ſpecialis eſt, quod iſta ſucceſſio etiam filiis clericis in gerada matris concedatur. Jam vero exceptiones ita formandæ ſunt, ut regulis quam minimum repugnent; Wolff. Metaph. germ. §. 166. *Ergo quoque leges ac diſpoſitiones ſpeciales & exceptivæ in dubio ita interpretandæ ſunt, ut magis conveniant & minus derogent regulis ac legibus generalioribus, l. 14. ff. d. LL.*

Ideoque & lex iſta ſpecialis qua filiis clericis ſucceſſio in gerada materna tribuitur, cum in eo dubia nonnullis fuerit viſa, an etiam ad geradæ uxoris, ſororum aut aviæ ſucceſſionem pertineat, omnino de gerada tantummodo matris, & quæ ejus appellatione ſenſu legali continetur, aviæ maternæ, intelligenda venit. Ratio namque exceptionis eſt ſingularis favor erga Clericos, maxime cum a ſucceſſione rerum hergewetticarum excludantur. Gloſſ. ad art. 57. Weichb. Berlich. Deciſ. 48. n. 5. Favorabilia autem per ſe non faciunt genuinum interpretandi fundamentum; §. 15. adeoque iſta exceptio omnino ſtricte accipienda erit, ut minimum deroget regulæ univerſali, quæ ſucceſſionem geradicam eſſe vult fœminarum. Eandem vero Clericorum ſucceſſionem, ad aviæ maternæ geradam recte proferri exiſtimamus, quoniam ſenſu legali ſecundum jus commune ſub matris appellatione etiam avia & ulteriores aſcendentes intelliguntur; l. 51. ff. d. V. S. adeoque exceptio legibus generalioribus minus deroget.

Aliud exemplum reſtringendæ legis exceptivæ, eſt in quæſtione illa controverſa, an tertius poſſeſſor hypothecæ ſpecialis, gaudeat beneficio excuſſionis adverſus creditorem? Cum enim in Novell. 4. C. 2. poſſeſſoribus hypothecarum

rum in genere & quibusvis personis minus principaliter obligatis, istud beneficium tribuatur; ex verbis autem Novellæ 112. C. 1. ubi creditori hypothecario speciali, si debitor rem oppignoratam vendens, ex pretio ei non satisfecerit, vindicatio adversus emtorem conceditur, hujus beneficii, quoad hypothecas speciales, sublatio, atque correctio d. Nov. 4. nondum inferri possit; Hinc quoque eorum sententia, qui Nov. 112. a Nov. 4. neutiquam facere exceptionem contendunt, veritati hermenevticæ magis omnino congruere videtur. cf. Titius Obs. Lauterb. 658. Menck. ad ff. d. pignor. §. 13 Cur vero in Saxonia hoc casu non admitti soleat istud beneficium, ratio est: quia bonorum immobilium hypothecæ judicialiter constituuntur & in libris judicialibus annotantur, ex quibus pignoris obligationem rescisere solent emtores, ideoque scientes rem esse oppignoratam, isto privilegio excidunt. arg. l. 27. C. d. evict. Franzk. L. 1. Res. 12. n. 29. Omnis igitur exceptio, sive legibus, sive dispositionibus privatorum contineatur, stricte est interpretanda, ut scil. legibus ac regulis generalioribus minus deroget. Inde colligitur ratio interpretandi legatum, quo testator uxori aut alii cuicunque usumfructum prædii sui, sub certo tempore in quod tertius quispiam pervenerit, v. g. usque ad majorennitatem filii legaverit; ubi cum filius ante adeptam majorennitatem decesserit, quæritur: an ususfructus nihilominus perduret ad tempus usque majorennitatis, ad quam filius perveniset, si vixisset? Quia nimirum ususfructus, & servitutes personales in genere, si certum tempus non fuerit determinatum, ad dies vitæ usufructuarii ordinarie perdurant; l. 3. §. 3. ff. quib. mod. usufruct. amitt. l. 16. §. 1. C. d. usufruct. hoc vero in casu temporis determinatio, si filius ante hoc decedat, quodammodo incerta sit, simulque exceptionem faciat atque restrictionem temporis longioris, quo ususfructus, secundum leges allegatas ordinarie finitur; hinc istud tempus dum usufructuarius adhuc vivit, in dubio potius relaxandum, quam coarctandum, atque ususfructus legatus, hoc

casu

casu potius ad terminum majorennitatis filii completum, licet ante hunc decesserit filius, perdurare censendus est; quam interpretationem quoque tenuit Imp. in l. 12. C. d. usufruct.

§. XIV.

Cumque & Statuta localia sint leges speciales; Menck. ad ff. d. Const. princ. §. 15. hinc quatenus contra regulas ac dispositiones legum provincialium aut juris communis aliquid constituunt, *stricte semper interpretanda veniunt.* §. 13.

Scilicet ubi statuta cum legibus provincialibus aut jure communi pugnare videantur, ea interpretatio amplectenda, quæ harum legum constitutionibus magis convenit. §. præced. Ita cum juxta statuta Lipſ §. 1. maritus ad uxoris sine filia defunctæ Geradam, contra juris Saxonici communis rationem admittatur; eo casu si uxor alia simul haud reliquerit bona, filiorum aut parentum legitima ex rebus geradicis merito constituenda erit, ut minus derogetur juris communis & Saxonici dispositioni, qua liberis, aut parentibus ex istis bonis salva esse debet legitima. Carpz. P. 3. C. 23. D. 18. Ita licet d. §. 1. & 2. Statuti, de uxore tantum sine filia defuncta, loquatur, non tamen admittendus erit viduus, si vel neptis ex filia adsit; quoniam sub filiæ appellatione, etiam neptis, secundum jus commune intelligitur. l. 201 ff d. v. S.

§. XV.

Non datur in jure odiosum, quod respectu alterius non simul sit favorabile, & viceversa. Ita omnia prohibitiva & pœnalia, tanquam odiosa, insimul favorabilia sunt intuitu aliorum, quorum interest ut facta injusta & nociva intermittantur; ita & pleraque favorabilia simul odiosa sunt, quatenus de bonis aut juribus aliorum aliquid detrahunt, v. g. causæ dotium favorabilia sunt respectu filiarum, sed odiosa respectu parentum aut fratrum &c. Adeoque restrictioni odiosorum

semper

ſemper contradicet favor alterius, & extenſioni favorabilium odium ſive præjudicium illius. Cum vero omnis regula, contradictionem involvens, minime vera & adæquata eſſe poſſit; per Logic. *Hinc patet, regulam illam vulgarem de odioſis reſtringendis & favorabilibus extendendis, nullius momenti & uſus eſſe cenſendam.* vid. omnino Titius ad Puffendorff. Obſ. 428. ſq.

Certe multitudo limitationum & exceptionum, quarum novem numero affert Stryck. ad Brunnem. J. E. Cap. 15. d. R. J. in 6to. putativæ iſtius regulæ valorem & univerſalitatem, penitus fere evertunt, ejusque inconcinnitatem atque futilitatem evidenter ſatis produnt. Multa certe odioſa extendenda, & multa rurſus favorabilia reſtringenda veniunt, prouti finis & ratio adæquata diſpoſitionis exigit. Veriora itaque & magis utilia principia hic quoque ex iis petenda veniunt, quæ de interpretatione extenſiva & reſtrictiva ſupra §. 7. demonſtravimus. Varias præterea ejuſdem farinæ regulas, quæ paſſim afferri ſolent, digno calculo notavit laudatus Titius, c. l. Obſ. 441. ſqq.

§. XVI.

Voluntas poſterior, adeoque & lex nova correctoria, catenus tollit priorem, quatenus ei vere contradicit, in reliquis voluntas & lex prior adhuc valere præſumitur; quod enim non mutatum cur ſtare prohibeatur? l. famoſ. 27. C. d. Teſtam. *Itaque lex nova correctoria ſtricte eſt interpretanda, ita ſcil. ut in dubio minus derogare præſumatur legi priori.* a. l. 32. §. f. C. d. Appellat.

Ita Paulus in l. 26. & 28. ff. d. leg. Non eſt novum, inquit, ut leges priores ad poſteriores trahantur. Sed & poſteriores leges ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint. Exemplum eſt diſpoſitio §. 17. T. 39. O. P. S. R. de amittenda 10ma. parte liciti in caſum non ſoluti pretii rei ſub haſta emtæ, ad Subhaſtationes voluntarias haud extendenda, de quo vid. Demonſtrationes noſtras jurid. de Subhaſtationibus, §. 20.

Eodem ex fundamento & diſpoſitionem O. P. S. R. §. 16. d. T. de decima liciti parte, ante adjudicationis terminum perſolvenda, per Mandatum Regium novius, d. d. 26. Aug. 1732. minime mutatam eſſe colligimus. His enim

dict. Mand. verbis: Daß in Zukunfft kein Licitum anzunehmen, wenn nicht derjenige, so solches thut, bey Ritter-Güthern die Helffte, bey andern Grund-Stücken den dritten und bey Bauer-Güthern den vierdten Theil so fort bey der Adjudication, oder nach der nächsten Leipziger Oster- oder Michaelis-Messe, längstens binnen 4. Wochen baar zu erlegen sich erbiethet ꝛc. allegata Ordinationis Proc. rec. dispositio non removetur, adeoque præter istas dimidias, tertias, quartasve partes, in aut post Adjudicationem præstandas, illa quoque decima pars liciti ante adjudicationem solvenda, recte omnino a Judice exigitur. An vero menstruum istud spatium, intra quod illæ partes licitorum post nundinas vernales vel autumnales exsolvendæ jubentur, ab ultimo primæ hebdomatis die, quo dato campanæ signo, ordinarie finiuntur nundinæ; an potius a sequioris septimanæ solutionibus destinatæ decursu, computandum veniat? ex iis quæ supra §. 9. in Schol. notavimus, facile judicatur.

Ita ex mandato Sax. von Obligationen derer Weibes-Personen, d. a. 1722. quo fœminis solutis, libera de bonis mobilibus sine Curatore disponendi ac paciscendi facultas relinquitur, oriebatur dubium, an ista dispositio quoque ad fidejussiones virginum aut viduarum pertineat, eaque SCti Vellejani privilegium, quoad has fuerit sublatum? Verum ex ratione hujus §. hocce privilegium & Jure Civili & Constitutionibus Saxonicis expresse stabilitum, nova hac lege haud esse sublatum recte pronunciavit F. J. Lipsl. M. Mart. 1724. cujus Sententiæ tenorem adjecit B. D. Meisius, laudat. Facult. Assessor, in Dissert. de renovato viduarum Saxonicarum privilegio, Lipsl. 1724. hab. §. f. Not. aa.

§. XVII.

Ex dictis jam facile concipiuntur regulæ, quarum adjumento leges sic dictæ obstantes & contradictoriæ invicem conciliari possunt. Videndum scil. quænam legis dispositio sit generalis & regulæ instar, quæ vero specialis & exceptiva? Porro quæ prior, quæ posterior tempore? tum applicatis iis, quæ §. 13. & §. 16. demonstrata sunt, optima ratione succedet conciliatio.

EXERCI-

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
INDOLE ET REQUISITIS
VALIDÆ
RENUNTIATIONIS,
OB SINGULAREM AMPLISSIMÆ HUJUS
MATERIÆ IN FORO UTILITATEM ET NOTA-
TAM COMMENTATORUM IN EJUS PER-
TRACTATIONE, CONFUSIONEM,

PAULO ACCURATIUS INSTITUTA

a

CAROLO AUGUSTO RITTERO,

A. S. L.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/25
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

SYNOPSIS TRACTANDORUM.

Renuntiationis significatus nominalis traditur §. 1. Definitio ejusdem realis, cum demonstratione §. 2. Divisio Ima. in Principalem & Accessoriam cum regulis atque exemplis. §. 3. Divis. IIda. in Expressam & Tacitam §. 4. Divis. III. in Simplicem atque Juratam, ubi de Juramenti accessorii natura & effectu uberior tractatio habetur, ejusque applicatio & praxis indubia demonstratione ostenditur §. 5. Divis. IV. in Generalem, Subalternam & Specialem §. VI. Requisita renuntiationum generalia traduntur §. 7. De Imo ejus requisito & in quantum metus, error aut ignorantia sint attendenda §. 8. De IIdo renunciat. requisito, ubi de milite & filiofamilias renunciante §. 9. Maxime controversa materia, quatenus fori competentis renunciatio sortiatur effectum, paulo distinctius evolvitur §. 10. De renunciatione aut repudiatione hæreditatis a debitore obærato facta §. 11. De IIItio renunciat. requisito, it. de renunciatione dotis petendæ a stuprata facta, contra Dn. Bergerum, §. 12. De Pactis hæreditatis renunciativis §. 13. De beneficii Competentiæ & Cessionis bonorum renunciatione §. 14. An fœmina beneficio Curatoris, Uxor portioni statutariæ, sine Curatoris autoritate, it. donans insinuationi donationis 500. solidos excedentis, valide renuncient? §. 15. An l. f. C. de revoc. donat. valide renunciare possit donator? §. 16. Renunciatio strictissime interpretanda est, unde visum fuit nonnullis DD. ei qui hæreditati renunciavit, superesse nihilominus adhuc legitimæ petitionem; §. 17. Refellitur ista sententia, & hæreditatis abdicationi, etiam legitimæ renunciationem necessario inesse probatur; §. 18. Dotis vero petitio filiæ hoc casu omnino salva relinquitur §. 19. Specialis renunciatio & dotis, & legitimæ omnino valet §. 20. Renunciatio hæreditatis paternæ, neutiquam excludit a petitione fraternæ hæreditatis, etiamsi hæc maximam partem ex bonis paternis constet. §. 21. Regula de restrictiva renuntiationum interpretatione proponitur atque exemplis illustratur §. 22.

Quo

Quo certiorem præsentis materiæ in praxi novimus utilitatem, quove plures eorum, qui passim ad causas renunciationum commentati sunt, deprehendimus tricas, confusiones atque dissensus; eo minus hujus nos pœnitebit laboris, dissertationi quidem academicæ antehac dicati, quo selectiores controversias, ex veris & adæquatis principiis judicare, principia vero, tanquam primaria cujuslibet renunciationis requisita, notabilioribus illustrare casibus, sategimus.

§. I.

Vocis originem quod attinet, eandem metaphoricam atque compositam esse, grammatici perhibent. Nec otioso labore ejus nativitatem ex antiquitatibus latinis erimus producturi, sufficiet dixisse, renunciare idem esse ac remittere, resignare vel repudiare jus suum. Germanis dicitur, eine Verzicht, Begebung, Auflassung oder Entsagung seines Rechtes. Atque ista vocis acceptio, hujus tantummodo loci erit licet præter eam, vario adhuc significatu in jure nostro veniat renunciatio. Sic denotare quandoque solet, relationem mensoris, architecti, medici, aut obstetricis; interdum delationem & proditionem consiliorum, porro & novi operis nuntiationem, item designationem seu proclamationem publicam, qua personis, altioris dignitatis gradu, utpote magisteriali aut Doctorali mactandis, isti honores solenni ritu decernuntur; vid. l. 1. pr. & l. 5. §. 1. 2. ff. si mens. falsi. mod. l. 38. de pœn. l. 16. §. 1. d. re milit. l. 16. d. nov. op. nunt. Dalner de renunciat. Cap. 2. n. 2. sqq.

§. II.

Adductis jam quæ ad nominis declarationem pertinebant momentis, rei quoque explicationem apponere, ejusque ideas essentiales breviter evolvere, ordo postulat. Definimus autem renunciationem, quod sit *Declaratio voluntatis*

legitima de non utendo jure noſtro. Multa ſcil. hominibus, tam a lege conceſſa, quam pactis quæſita ſunt jura ſeu facultates morales, in ſui utilitatem aliquid habendi, agendique, quæ ſi minus quandoque utiles videantur, adeo ut ejus non uſu ſibi alterive majus commodum adſciſcere queant, eas tanquam abundantes dimittere, aliisque relinquere, nulla lege prohibentur.

Cum autem renunciatio ſit negotium conſenſuale adeoque ejus valor ex communibus conventionum regulis ſimul ſit judicandus, ea quæ ad harum validitatem, tam ratione perſonarum, quam rerum ac jurium, in genere pertinent requiſita, hic quoque repetenda ac obſervanda veniunt, præſertim ubi leges civiles, ad evertendas eorum technas, qui bona & facultates renunciantis, quem indigentia virium, facile ad quævis pacta ineunda compellit, citra ſpontaneum ac ſatis deliberatum ejus conſenſum, ſub ſpecie recti ad ſe rapere tendunt, quaſdam jurium renunciationes, reprobarunt partim, partim certas ad earum confirmationem definiere ſolennitates, quibus non adhibitis, iſtæ in vita civili, validæ perſiſtere nequeunt. De hiſce igitur legitimis validæ renunciationis requiſitis, in ſequentibus, paulo fuſius erimus acturi.

§ III.

Antequam vero ipſius definitionis axiomata, indeque venientes caſuum deciſiones exponamus, variæ renunciationum diviſiones nobis prælibandæ veniunt. Quamvis autem DD. hanc in rem commentati, ingentem diviſionum farraginem apponere ſoleant, vid. B. D. Quirini Schacheri Diſſert. de renunciat. action. indubiar. ubi viginti & ſeptem numero ſpecies tantum proferuntur; earum tamen pleræque vix quidquam ad rem faciunt. Quid enim juvat noſſe diſtinctionem renunciationis in eam, quæ nudo pacto & legitimo aut convento, initur, it, in perfectam & imperfectam, ſufficientem

&

& insufficientem, concessam & prohibitam, validam & invalidam? termini sunt otiosi, sufficit nosse, renuntiationem imperfectam, insufficientem & invalidam, futilem, inutilem & nullam esse. Nos utiles tantum ac potissimas renunciationum divisiones enumerabimus, quarum Ima eandem in Nudam s. principalem, & Accessoriam disjungit. Hæc contractibus, adjici solet, illa, separatim & citra præcedentem contractum peragitur; veluti si quis debitum aut obligationem alteri, per pactum de non petendo, remittit, hereditatem repudiat, it. ab actione in judicium deducta, aut interposita Appellatione iterum desistit, vid. Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. 5. §. 9. & T. 35. §. 7. ubi actionis aut appellationis renunciatio eatenus permittitur, ut quandoque renuncianti, temerariæ aut protractæ litis intuitu, expensarum refusio, quin & pro re nata 5. 10. pluriumve thalerorum mulcta imponatur. Accessoria renunciatio, etiam causalis vocatur, ob præcedentem causam, conventionem scil. aut aliud negotium principale cui accedit, ut renunciatio SCti Vellejani, beneficii excussionis, Læsionis ultra dimidium &c. vid. Giphan. de Renunciat. Cap. I. in fin. Cum igitur talis renunciatio a negotii principalis virtute pendeat, nec alia ratione, quam reliqua pacta contractibus adjecta valere possit, sequitur, eandem corruente principali contractu simul ruere, *neque etiam subsistere posse, cum contradictionem involvat, atque præcedentis negotii requisitis essentialibus repugnet*, eo enim casu vel pro non apposita habetur, vel urgentibus circumstantiis, aliam contrahentium intuitu principalis conventionis, mentem fuisse præsumitur, vid. Beyer ad ff. de contr. emt. pos. 58 & 59. Titius Obs. Lauterb. 1100. Quotiescunque igitur Contractus principalis, lege quadam civili aut statutaria, peculiari ex ratione invalidus aut prohibitus judicatur; toties & renunciatio ad evertendam legis prohibitionem contractui adjecta, ullius valo-

valoris neutiquam esse potest, e. c. renunciatio privilegii ex Mand. Reg. d. a. 1724. **wegen Aufborgen junger Leute**, competentis, a persona 25. annis minore, contractui cambiali adversus Potentissimi mandatum inito, adjecta; plura exempla vid. infra §. 15. & §. 5. ubi & ratio differentiæ excutitur, quare nonnulli contractus, qui mero jure Romanorum ex putativa saltem æquitatis ratione pro invalidis habebantur, accedente jurata renunciatione, convalescant. Iis porro casibus ubi renunciatio accessoria, principali contrahentium intentioni aperte repugnat, inutilem diximus eandem. Exemplum est in fidejussore in demnitatis, qui beneficio excussionis inutiliter renunciat, cum ad eum solummodo casum illius obligatio sit restricta, si debitor principalis non sit solvendo, atque ita hæc renunciatio, contradictionem involvens, obligationis præcedentis naturæ plane adversetur, Finckelth. Obs. 107. Carpz. Dec. 14. B. Menck. ad ff. de Fidejuss. §. 14. Nisi renunciationi accesserit juramentum, quod ob C. 28. d. jurej. & hoc casu servandum, Perez ad Cod. de fidej. n. 26. Stryck. de Caut. Contr. P. 2. C. 6. §. 24. in fin. & in Dissert. de Cautela abundante in Contractu Cap. 2. n. 95. sqq. ubi dissentientium opinionem satis convellit. Quamvis enim talis fidejussor in eum tantummodo casum, si creditor a principali debitore aut reliquis fidejussoribus debitum consequi non possit, semet obligaverit, postea tamen excussionis beneficio expresse ac jurato renuncians, juramento potius, quam antecedenti simplici assertioni stare velle præsumitur; alioquin lusisse tantum cum juramento, quasi cum catulo videretur, juxta lusum Zasii ad l. 3. §. 4. ff. d. jurej. n. 6. cf. Hering. de fidejuss. C. 19. n. 161. sqq. Nisi excipias casum, quando non sola renunciatio excussionis, sed tota fidejussio jurejurando est confirmata, tum enim jusjurandum ad principalem potius contractum, quam renunciationem accedentem

est

est proferendum; item cum indemnitatis fidejussor simul cum aliis fidejussoribus, simpliciter ita dictis, excussionis beneficio renunciaverit, stricta hujus conventionis interpretatio, ad eos solos juramentum referendum esse svadet, Ant Faber in Cod. lib. 8. Tit. 27. Def. 46.

Pari ratione, exceptionis non numeratæ pecuniæ renunciatio, in Chrographo facta, inanis erit dicenda. Vel enim debitor, quantitatem chirographo contentam, a creditore accepit, vel non; si prius, nullatenus dicta exceptione uti potest, etiamsi non renunciarit; sin posterius nullo non tempore eadem securus erit; renunciatio enim spe saltem futuræ numerationis facta fuit, qua non secuta, nec ipsum chirographum, multo minus huic adjecta renunciatio quicquam operatur, Carpz. P. 1. c. 32. D. 65. Beyer ad Inst. de liter. oblig. pos. 10. sqq. Stryck. de C. C. Sect. 2. C. 7. §. 8. Horn. Class. 12. Resp. 20. Attento tamen hoc discrimine, ut exceptio n. n. p. in continenti liquida, in ipso statim processu executivo, adversus chirographum valide opponi queat, illiquida autem in reconventionis judicio demum sit deducenda; Ord. Proc. Sax. Rec. in Append §. 8. quo simul notabilis quondam differentia exceptionis n. n. p. privilegiatæ, a minus privilegiata, corruit, quam quidem, ut inconcinnam & germanorum moribus non satis convenientem, jam ante notavit Peretz ad Cod. Tit. de non. num. pec. Schilter Exerc. 22. §. 22. 1qq. Beyer ad ff. de reb. cred. p. m. 245. Ex dictis ulterius patet, ejusdem exceptionis renuntiationem, etiamsi ex intervallo & separata schedula fuerit iterata, vel juramento confirmata, neutiquam impedire, quo minus debitor, momentanea illius probatione destitutus, ideoque in conventionis judicio damnatus, quantitatem indebite solutam, mediante reconventione repetere queat, arg. C. 6. X. d. jurej. Brunnem. ad l. 4. C. d. non num. pec. Stryck. d. C. C. Sect. 2. C. 7. §. 10. Berger in Oec. Jur. p. m. 635.

Eodem exfundamento, renunciatio recognitionis, quam obligationum instrumentis, quandoque appositam legis, effectu destituitur, utpote quæ totius instrumenti tanquam principalis negotii subsistentiæ repugnaret, omnemque illi probationem & validitatem adimeret. Quem enim latet, istrumenta privata non nisi recognita probare? cum judici alioquin constare haud possit, an is cujus scriptura producitur, eandem conscripserit, aut subscribendo probaverit, adeoque hæc ipsa renunciatio, recognitione indigeat; accedit denique creditorem fraudulosum, eodem pariter dolo, quo falsam scripturam pinxit, dictam quoque exceptionem adjicere potuisse, quid igitur aliquo valore digna erit censenda? Ord. Proc. Sax. Rec. T. 25. §. 3. j. Schwendend. ad Fibig. p. 714. - 717. D. Barth. in Hodog. for. Cap. 3. §. 2. Not. q) Plures casus ex renunciationis access. principiis decidendos, vid. infra §. 15. sq. & § 5.

§. IV.

Dividitur II. Renuntiatio, pro diversa consensus declaratione, in *Expressam*, & *Tacitam* seu præsumtam quæ tacito inititur consensu, utpote qui ex facto scientis vel facti omissione, probabili ratione colligitur. Quoniam vero taciti istius consensus existentia sæpe dubia, nec satis evidens sit facti aut omissionis ad veram renunciationem illatio, hinc leges civil. certum temporis spatium posuere, intra quod faciens aut omittens, si mentem contrariam interea haud declaraverit, pro renunciante omnino habendus sit. En igitur veram præscriptionis originem & necessitatem eandem introducendi, quo scil. difficillimæ controversiæ & dubiæ consensus taciti interpretationes expediantur. Inde simul patet, præscriptione opus non esse, ubi factum aut omissio ita est comparata, ut per se & persumtione legali consensum inducat, v. g. in tacente qui & potuit & debuit loqui. Adeoque jus aut privilegium aliquod remissum atque extinctum censetur, quando Dominus

nus intra tempus a lege præſtitutum eodem non utitur (quo ſpecialia Legum de præſcriptionibus, ſtatuta pertinent) aut actum juri ſuo penitus contrarium admittit. vid. Wernher Vol. 1 P. 1. Obſ. 108. p. m. 150. Et paucis: *quotiescunque quis aliquid omittit, ad quod faciendum, juris ſui conſervandi cauſa, neceſſario obligatus erat; aut aliquid facit, ad quod omittendum, eandem ob cauſam tenebatur, tot. tacita juris ſui abdicatio præſumitur.* Ita in Mand. Reg. El. d. a. 1720. **Die Erläut. einiger Puncte der Leipziger Handels-Gerichts-Ordn. betr.** No. 3. diſponitur: **Daß derjenige, ſo ſeine eingewandte** Appellation deſert **werden läſſet, zu Bezahlung derer, nach Anleit. der Handels-Gerichts-Ordn.** in caſum ſuccumbentiæ **geſetzten Straf-Gelder, ebenmäßig und um ſo viel mehr angehalten werden ſolle, weiln die Straffe auf diejenigen ſo der eingewandten Appellat. hinwieder** renunciren, **in angeregter Handels-Gerichts-Ordn.** expreſſe **mit gerichtet iſt, die** *Deſertio Appellationis* **aber** NB. *pro tacita renuntiatione* **gehalten wird.** Ita ille, qui intra dies ſtatutas bonorum poſſeſſionem non petiit, quaſi renuncians ab eadem excluditur, l. 1. §. 10. ff. d. Succeſſ. edict. Aliud exemplum ſiſtit Cap. 6. X. de privil. ubi ille qui de prædio a decimis libero, nihilominus per triginta annos decimas ſolvit juri ſuo renunciaſſe, atque imposterum ad earum perſolutionem obſtrictus eſſe dicitur. Similes caſus de ſervitutibus, per tacitam domini remiſſionum, amittendis, vide ſis in l. 8. ff. d. Serv. amitt. Sponſus, ſub honeſta conditione ſponſalia contrahens, poſt vero ante conditionis eventum deſponſatam cognoſcens, conditioni præſumitur renunciaſſe, per Cap. 6. X. d. Condit. appoſ. Venditorem quoque, poſt tempus pacto commiſſorio præſtitutum, prætium ab emtore petentem juri huic ſibi alioquin competenti, nuncium miſiſſe pronunciat l. 7. ff. d. leg. commiſſ. Creditor, qui debitori ſuo chi-

 rogra-

chirographum reddit, debitum quoque ei remiſſiſſe videtur, p. l. 2. §. 1. ff. de pact. ni unum forſitan chirographi exemplar retinuerit, Berger in Reſol. Lauterb. d. T. qv. 1. Beyer ad ff. eod. T. Not. e). id quod indoli renunciationis, ſtrictam ſemper interpretationem recipientis omnino convenit, ut ex infra dictis patebit. Ita porro Creditorem, qui pignoris non redemti, dominium acquiſierat, poſtea vero uſuras a debitore iterum accepit, a jure ante quæſito receſſiſſe, ait Gordianus Imp. in l. 2. C. d. jur. dom. acquir. Eadem ratione & ille, cui ex ſola mora uſuræ debentur, quando ſortem ſimplicitер ac ſine proteſtatione acceperit, uſuras debitas remiſiſſe cenſetur, a l. 49. §. 1. &. l. 10. in fin. ff. de act. emt. Beat. Menk. ad ff. Tit. de Uſur. §. 17. Neque ei, qui pœnam ſtipulatam accipit, præſtationem ſub hac pœna promiſſam, ob tacitam quæ intercedit renunciationem, amplius petere concedit l. 28. ff. d. act. emt. Nec denique creditori, plures per annos, (triennium ſtatuunt plerique) minores uſuras recipienti, majores ab initio promiſſas, ob præſumtam harum remiſſionem, a debitore rurſus contendere permittit l. 13. pr. ff. l. 5. C. d. Uſur. ibique Brunnemann B. Menck. ad ff. d. probat §. 2. in fin.

§. V.

III. Diſcrimen ſtatuitur inter renunciationem *Simplicem* atque *Juratam*, & quanquam juramento, ut acceſſorio, major virtus, quam negotio principali haud deberet attribui, obſervantia tamen pariter ac leges ſcriptæ, juratam quandoque juris renunciationem admittunt, ubi ſimplex locum alias non invenit. Cum enim Romanorum legibus vix ullus jurijurando confirmatorio relinquatur uſus; per l. 5. in f. C. de Leg. varias nihiloſecius eorundem ſanctiones, ac præſertim incongruas circa liberum paciſcendi arbitrium factas reſtrictiones, ab æquitatis naturalis ſimplicitate, haud parum aberrantes deprehendamus: non ſine ratione, cum de jurisjurandi validitate

quæſtio

quæstio occurrit, Juris Canonici potius, quam Romani autoritatem, ex receptis Germaniæ moribus, in terris quoque protestantium sequimur. vid. Carpz. P. 2. C. 11. D. 50. n. 4. & P. 2. C. 16. D. 2. in fin. Stryck in Us. mod. ff. T. de Pact. §. 16. Struv. Exerc. 17. Th. 23. Strauch. de Origine Jur. Can. Thes. 39. sqq. Dn. de Berger in Oec. Jur. L. 1. T. 1. §. 29. Not. 2. Evolutis autem textibus, sequentia, ad jurisjurandi promissorii validitatem, requisita, quæ & simplici promissioni naturaliter communia sunt, ibidem legimus constituta; 1) Ut consensu jurantis libero s. spontaneo ac satis deliberato præstetur, vel uti Caus. 22. qu. 2. C. 2 & Cap. 26. X. d. jurej. loquuntur, primarium comitem habeat *Judicium* se intellectum, atque cognitionem tum juramenti virtutis, tum rei de qua juratur. Interim si propria culpa & negligentia insigni circa objectum erraverit jurans, atque error vel ignorantia saltem sit accidentalis s. concomitans, tum in foro quoque civili & externo, ad præcidendas fraudes ac controversias, valide obligatus censetur, ut infra §. 8. probatum dedimus. Sequitur inde, nec infantem, furiosum, aut extreme ebrium, nec dolo deceptum, metuve atroci & injusto concussum, ex juramento præstito teneri; Cap 2. 8 15. & 28. X. d. T. Avth. Sacram. puberum C. si advers. vend quin & tum quoque jurantis obligationem desinere, cum conditio ad quam consensus ac jusjurandum expresse aut probabiliter fuit directum, posthac defecerit, pariter & quando insignis objecti reive de qua conventum, citra jurantis culpam contigerit mutatio, vid. Cap. 3. 25. & 29. X. d. T. conf. infra §. 21. II) Requiritur, ut actus cui jusjurandum accedit, æquitatis ac legis divinæ, tum naturalis, tum revelatæ dictamini sit conformis; quod innuit all. Caus. 22. qu. 2. C. 6. ubi alterum jurisjurandi Comitem *Justitiam* constituit, adeo ut deficiente naturali paciscentis ad servandum promissum obligatione, nec juramentum adjectum quicquam operetur. Itaque

& juramentum contra bonos mores seu honestatem ac decus publicum conceptum, quove servato, aut delinquendi occasio, aut pejus minimum aliis præberetur exemplum, pro temerario magis quam justo erit habendum, C. 58. d. Reg. Jur. in 6to ibique Brunnem. Tolerabilius enim esse dicitur, juramentum non implere, quam quod turpe est facere. Caus. 22. qu. 4. C. 8. cf. Cap. 24. & 25. in f. X. d. jurej. & infra §. 13. Denique ob eandem rationem vel maxime reprobandum est jusjurandum, tendens in præjudicium tertii ac læsionem juris alteri competentis, C. 28. X. d. jurej. & C. 2. d. Pact. in 6. jung. C. 16. C. 12. vers. ille vero &c. & C. 23. X. d. T. aut contemtum ac illusionem legis, qua princeps aut superior in Republica, speciale negotium æquas & præguantes ob causas absolute prohibitum statuit, a. Cap. 1. & 19. X. d. T. Quod denique citra necessitatem, in allegatis textibus passim inculcatur jurisjurandi requisitum, ne scil. observatum vergat in dispendium salutis æternæ; ut omnibus christianorum actionibus commune, adeoque impertinens ac minus adæquatum, studio prætermittimus; quandoquidem & perversa eorum opinio, qui omne juramentum, quod citra salutis æternæ dispendium servari potest, servandum esse arbitrantur, parum congrua videtur, eoque magis reprehendenda, quo tutius inde, hominum nequissimorum malitiæ ac improbitati, qua dolo, vi, aliisque modis illicitis, ad juramenti præstationem haud raro inducunt, alios, sub pietatis fuco asseritur patrocinium. vid. Titius ad Puffend. Obs. 268.

Hisce igitur præmissis, quilibet facile intelligit, qua ratione jusjurandum, eoque confirmata renunciatio, ex juris Canonici præceptis consistere queat. Cæterum vero cum insignis præterea intercedat differentia inter valorem obligationis & jurisjurandi naturalem s. internum, eandemque civilem s. externum, uti §pho insequenti monstrabimus, ulterius dispi-

diſpiciendum, qua juramenti vinculum in foro naturali, quave ratione in foro civili, præſertim Saxonico ſtringat. Videlicet expediti juris res eſt, jusjurandum ſemper niti obligatione quadam præcedente, & tanquam acceſſorium ſtare &, cadere cum ſuo principali, adeoque novam ac peculiarem plane haudquaquam producere obligationem, ſed eam quæ ex lege aut pacto jam exiſtit, ſtabilire tantum ac perficere, vid. Puffend. de Jur. Nat. & Gent. L. 4. C. 2. & de off. hom. ac Civ. L. 1. C. 11. §. 6. ibique Titius. Exiſtente igitur naturali ad ſervandum promiſſum obligatione, fidem cum provocatione vindictæ divinæ inſuper datam, neutiquam fallere poterit juratus, ſed ejus adimplendæ, eo magis ſemper fortiusque in conſcientia obſtringitur. Ita quoque Impp. Theodoſ. & Valentin. in l. f. C. ad L. Jul. repet. Neminem ajunt, divini timoris, contemnendo jusjurandum, arbitramur immemorem, ut ſaluti propriæ ullum commodum anteponat. Leges autem in foro civili diverſimode receptas ac promulgatas, quod attinet, varios earundem inter ſe, animadvertimus conflictus, præſertim ubi jus eccleſiaſticum papale, legibus Romanorum civilibus, hac in re ſubinde contrariatur, vid. Cap. 28. X. C. 2. de jurej. & C. 2. d. Pact. in 6. qui legum diſſenſus, varias quoque JCtorum peperit contentiones.

Verum enim vero juſta legum ſubordinatione ubique ſervata, lites ac controverſiæ, facili negotio expediri queunt; atqui ſupra jam dictum, *leges Romanorum civiles, ex receptis Germaniæ moribus in juramentorum cauſis ſubinde poſtponendas eſſe, juris Canonici placitis*, qua in re & Doctores unanimi fere ſententia conveniunt; cf. Titius in Specim. Jur. Eccleſ. L. 1. C. 2. §. 61. Dn. de Berger in Oec. Jur. L. 1. T. 1. §. 29. Not. 2. Patet ergo fallere fallique eos, qui omnem jurisjurandi promiſſorii vim atque pondus, ex legum Romanorum regulis unice metiuntur, hinc ubi lex Romana actum improbat, ipſum

quo-

quoque juramentum ei adjectum, ut inutile ac illicitum rejiciunt ob l. 5. in f. C. d. leg. imo & legum Canonicarum idcirco tradita, ut ſuperſtitioſa & iniqua damnare haud verentur.

At enim vero, æquiorem longe, harum legum præ illis eſſe diſpoſitionem, ubi de pactorum & juramentorum cauſis agitur, vel inde patet, quod officia & obligationes paciſcentium, vel renunciantium naturales, quas Romanorum jura, ex inconcinna ſubtilitate, ac citra ſufficientem prudentiæ rationem, ſæpius reprobarunt, natnrali ac juſto valori ſuo reſtituant. Nequæ hæc ſanctorum patrum mens unquam fuit, liberrimam cuilibet indulgere licentiam, ad hibito ſaltem ſacramenti vinculo, univerſa legum Civilium præcepta, ut quidam opinantur, pro lubitu eludendi; quandoquidem requiſitis juramentorum, quæ §pho præcedenti recenſuimus, conjunctim ſumtis, facile, perſpicies, non quodvis indiſtincte, adverſus juſta quoque & rationabilia legum Civilium placita, admitti juramentum, ſed id tantum, quod obligationem præſupponit naturalem, quove paciſcentium negotia, nec naturali nec divino jure prohibita, utut Romanorum ſtatutis, a ſimplici & recto æquitatis tramite quandoque aberrantibus, reprobata, ſtabiliuntur. Eapropter & actus, qui Romano jure, non abſolute, & ex vera æquitatis ratione prohibitus, ſed in favorem paciſcentis tantum, propter pœnitendi facultatem ipſi conceſſam, pro nullo declaratus eſt, interveniente jurisjurandi vinculo, omnino convaleſcit, vid. Bœhmeri Jus Eccleſ. proteſt. L. 2. T, 24. §. 29. & 31. Titii Jus privat. L. 2. T. 14. §. 17. adeo ut ex tali pacto jurato, & perfectam in foro externo obligationem producente, non ſolum ipſe paciſcens, ſed & hæredes jus, in obligationem defuncti ſimul ſuccedentes, valide omnino in foro civili obligentur, prouti laudatus Bœhmerus c. l. §. 38. ſolidiſſime adverſus diſſentientes deduxit, cf. Franzk. L. 2. Reſol. 6. n. 28. ſqq.

Ex

Ex dictis denique ulterius patet, errare & illos, qui Juris pontificii autoritatem, ejusve circa juramentorum validitatem, præscriptos canones eousque extendunt, ut vel juri patrio ac provinciali eosdem præferendos esse, sibi aliisque persuadeant. Jus enim Romanum pariter atque Pontificium, sunt leges receptæ; atqui leges receptas, in subsidium & eatenus tantum valere, quatenus legibus Germanorum domesticis & juri cujuslibet provinciæ proprio non refragantur, nemo est qui inficias eat: ideoque nec jus pontificium, dispositione sua, juribus patriis ullo modo derogare poterit. vid. Titii Jus Eccles. L. 1. C. 2. §. 61. & 62. cf. Stryck. ad Brunnem. Jus Eccl. L. 1. C. 3. ad §. 4. Cum igitur nulla verisimilitudine asseri queat, status protestantes, illud jus in præjudicium legum propriarum retinuisse, hanc denique regulam tene: *Quotiescunque jus jurandum contra leges provinciæ alicujus, v. g. Saxoniæ statutarias, adeoque principis voluntatem, pactionem quandam prægnantes ob causas, vel absolute, vel certo modo prohibentis, conceptum, toties nullus eidem in foro protestantium tribuendus est valor;* vid. Beyer ad ff. de Jurej. poss. 11. sqq. & inde porro: quo casu ex legibus patriis, simplex alicujus juris renunciatio non obtinet, eo nec jurata quicquam operatur. Equidem haud negaverim, naturalem quandoque jurantis ad pactionem servandum, adesse obligationem, etiamsi princeps ipso jure nullum dixerit ejuscemodi negotium eique omnem denegaverit validitatem: ita v. g. Anatocismum & reliquos contractus, quos leges nostræ pro usurariis habent, naturali jure indiscretim haud reprobatos statuimus; usurarum enim quantitate ibidem non determinata, absque læsione amoris socialis, pro circumstantiarum ac paciscentium qualitate, mox plures mox pauciores usuræ stipulari ac peti queunt. vid. Puffend. de Jur. N. & G. L. 5. C. 7. §. 9. Titius ad Lauterb. Obs. 694. Ita etiam fœminæ ex contractibus suis, perinde ac masculi, naturaliter obligantur, Titius c. l. Obs. 444. Magnif. Dn. D. Müller Natur- und Völker-Recht

C. 10. §. 12. cum naturalia jura, ſexus Curatelam, quibuſdam in locis neceſſariam, ignorent. Interim vero maximum imo & neceſſarium, inter obligationem internam ſ. naturalem, atque externam ſ. civilem intercedere diſcrimen, nemo non perſpicit, quod ſi DD. ac legum interpretes, ob oculos ſubinde habuiſſent, tanta eorum hac de re non fuiſſet altercatio. Videlicet naturalis obligatio, in foro naturali & conſcientiæ, promittentem, eoque magis jurantem ſemper obſtringit, aſt in foro externo ſ. civili perpetuo non obligat, ac prægnantes ob cauſas eadem ratione obligare vix poteſt. In foro namque externo, obligatio paciſcentium naturalis, ſæpe admodum controverſa & lubricæ æſtimationis res eſt, maxime cum impoſſibile ſit, principem & Llatorem humanum, ſufficientem undique & omnimodam, tam perſonæ quam negotii qualitatis ac circumſtantiarum infinite variantium, habere cognitionem; ideoque neceſſitas ac prudentiæ ratio exigat, obligationem iſtam & certius determinare, & urgentibus circumſtantiis, vel penitus reprobare, vel impletionem ejus, conſcientiæ ac naturali paciſcentis convictioni relinquere, eo magis puo pluries experientia docuit, hoc vel illud negotium, cum hac vel illa perſona initum, licet non perpetuo, ut plurimum tamen iniquitati ac fraudibus maleferiatorum obnoxium, hinc Reipubl. magis ſæpiusque damnoſum, quam quidem utile eſſe. vid. D. Freisleben in Introd. Jur. Civil. L. 1. C. 2. §. 5. Certe concinna eſt B. Beyeri hac de re ſententia, qui L. 12. T. 4. ad ff. poſ. 12. pro indole, ait, ſtatus corrupti, minor iniquitas, ad majorem iniquitatem repellendam adhibita, induit naturam æquitatis. Juſte igitur atque prudenter Princeps Reipubl. ejuſcemodi pactiones invalidas ſtatuit, unde nec præſumendum eundem permittere velle, ut actus quas lege ſua reprobavit ſemel, interveniente ſaltim partium juramento, rurſus convaleſcant. Alioqui enim hominibus improbis, commoda ſemper pateret occaſio, alios, præſertim in anguſtiis conſtitu-

ſtitutos, prætextu religionis obligandi ac lædendi impune, ita vero, juſta quælibet ac ſalutaria principis placita, in fraudem obſequii ei debiti, nullo non tempore eludendi pro lubitu. Eapropter tali caſu, ubi negotio, lege provinciali aut prorſus aut certa ratione invalido ac improbato, juramentum fuit adjectum, in foro quoque civili, magiſtratui præſertim inferiori a remediis coactivis abſtinendum, ac paciſcentes ad conſcientiæ ac jurisjurandi obſervantiam admonendi potius, quam compellendi ſunt.

Levi nunc ōpera ad concluſiones & caſus in foro civili ſpeciatim obvenientes progredimur, ubi principia hucusque tradita & ob genuinam demonſtrationem propemodum indubia, facilem rectamve ubique monſtrarunt viam. Varios autem caſus, ad regulam primam ante propoſitam pertinentes, iſtius beneficio nunc definire poſſumus; ita, utut jure Romano reprobata ſit renunciatio futuræ hæreditaris, transactio de iis quæ teſtamento ſunt relicta tabulis nondum inſpectis, transactio ſuper alimentis ſine prætoris cognitione & auctoritate, Donatio inter conjuges, Interceſſio uxoris pro marito facta, fidejuſſio extranei pro eodem de dote reſtituenda &c. univerſa tamen hæcpacta atque renunciationes eapropter factæ, quando jurisjurandi munimine fuerint vallatæ, ex juris Canonici diſpoſitione hodienum valent, cum earum nullitas, ex mero jure Romanorum & putativo ſaltem paciſcentium favore pendeat. cf. Titius in Jur. priv. L. 2. C. 14. §. 17. Brunnem. ad Tit. C. ne fidej. dot. n. 4. Gail. L. 2. Obſ. 40. Unde & Donationem juratam utra 500. ſolidos, licet actis haud inſinuatam, modo non ſit in officioſa, extra Saxoniam valere judicamus, vid. Gail. L. 2. Obſ. 39. n. 12. Lyncker Reſp. 150. n. 20. Quin & ipſe Imp. Friedericus, in Auth. Sacramenta puberum C. ſi adv. vend. Pontificis conſilia ſecutus, contractus minorum jurejurando

rando confirmatos, ac tacitam beneficii restitutionis in integrum renunciationem continentes, omnimodo servari jussit; quæ constitutio, an prudentiæ, legislatoriæ satis conveniat, merito dubitamus cum illustri Bœhmero l. c. §. 23. Quod porro ad collisionem juris Canonici cum legibus patriis & provincialibus, atque regulam 2dam, §pho præcedente idcirco traditam attinet, ejus illustrandæ causa, sequentia inservire queunt exempla: Videlicet cum jure speciatim Saxonico interdictos ac reprobatos videamus Contractus usurarios, pactave huc pertinentia, ut: Anatocismi, legis commissoriæ &c. per Mand. El. de anno 1625. von wucherlichen Contracten, vers. darneben so wollen wir &c. Dec. El. 28. & Mand. Reg. wider die Bancorout. d. a. 1724. §. 2. cf. Cap. 6. X. de jurej. C. penult. X. d. pignor. porro Contractus cambiales Studiosorum, Mulierum, eorumve, mercatoribus tamen exceptis, qui annum ætat. 25. nondum egressi sunt, Mand. Reg. d. a. 1718. & d. a. 1724. von Aufborgen junger Leute, Ord. Proc. Sax. Rec. in Append §. 11. Stipulationes palmariorum ab Advocatis in casum victoriæ aut litis finitæ factas, vel promissiones, quibus mulctarum illis impositarum & ex proprio eorundem patrimonio solvendarum, restitutio a Clientibus promittitur, O. P. S. R. Tit. 3. §. 1. & 2. Contractus mulierum absque Curatorum consensu initos, ubi scil. status ac bonorum diversitas eundem exigit, Const. El. 15. P. 2. Mand. Reg. d. a. 1722. von Verschreib. und Obligat. derer Weibs-Personen. Carpz ad. d. Const. El. Def. 1. Donationem Geradæ ab Uxore marito factam, C. El. 13. P. 2. ibique Carpz. Def. 1. Donationem extrajudicialem 500. solidos excedentem, Decis. El. 26. Hi sane contractus, pacta atque renunciationes eapropter factæ, quantumvis juratæ, ob rationes antea deductas, nullam in foro Saxonico producunt obligationem; imo quoque exempla, ubi Augustissimus Saxonum AUGUSTUS, contractus, quos lege sua semel invalidos statuit, adjecta licet clau-

clausula juratoria, neutiquam convalescere finit, quin & jurantem, creditorem, atque concipientem, pœna arbitraria vult coerceri, vid. in all. Mand. Reg. d. a. 1718. wegen derer Studios. Wechsel-Briefe, & Mand; d. a. 1724. von Aufborg. jünger Leute, §. 1. cujus dispositio postmodum per Rescriptum peculiare d. a. 1727. ad Fœminarum 25. annis minorum cambia fuit extensa.

§. VI.

IV. Denique Renunciatio in *Generalem*, *Subalternam* & *Specialem* dispescitur. Generalis dicitur, quando contrahens, ab omni legum auxilio, i. e. omnibus sibi adversus negotii validitatem, tam in genere, quam in specie competentibus juribus atque exceptionibus, citra specialem earum denominationem, sese excludit. vid. Stryck. de C. C. P. 1. C. 5. §. 2. Quam renunciationem, ut rem lubricæ æstimationis, merito rejiciunt leges, eo quod vix probabile sit, renunciantem de omnibus juribus ac beneficiis suis cogitare, singulasve eorundem species, uno quasi intuitu ob oculos habere potuisse, quin potius consensus renunciantis perfectus ac satis deliberatus, quo negotia consensualia vel maxime nituntur, hoc omnino casu exulare præsumatur, vid. l. 4. §. 4. ff. si quis caut. l. 1, in f. ff. si quis in jus voc. l. 5. & 9. in fin. ff. d. Transa&. l. 31. C. eod. Concludimus inde, innoxiam esse debitori, renuntiationem reconventionis, cambio aut chirographo adjectam. Ut enim taceamus, hanc summi præjudicii renunciationem, plerumque fieri a debitore, qui opum angustiis pressus duroque necessitatis telo afflictus, ad durissima quævis morosi creditoris postulata, coactus quasi descendit, metuens, ni ejus præscripto morem gerat, ut pecuniæ oblatæ, qua maxime indiget, accipiendæ spem plane amittat; ea insuper ut generalis, parum proficiet creditori, cum multifarios casus & exceptiones, imposterum forte emergendas, & in reconventionis judicium deducendas, involvat,

quas debitor, qui omnes ac singulas tam accurate præmeditari vix potuit, speciatim exprimere debuisset; accedit præcipuum ex l. 67. §. 3. ff. de cond. indeb. subveniens argumentum, ubi pactum contrahentium, quo omnibus ex contractu forte oriundis litibus ac controversiis renunciarunt, eandem ob rationem improbatur. Communis itaque & hic pro renunciante militat præsumtio, eum scil. jura & pecunias suas, haud ita leviter jactare ac perdere voluisse, per l. 25. pr. ff. d. probat. & Cap. 5. X. de renunc. Ita quoque debitori cambiali, omnium beneficiorum sibi competentium, generali saltem renunciatione uso, integrum nihilominus manet, feriarum nundinalium privilegium, nisi expresse ac nominatim eo se abdicaverit, Ord. Pr. Sax. rec. Tit. 11. §. 5. Stryck. c. l. §. 3.

Subalternam renunciationem vocant eam, qua quis juribus in hoc vel illo contractu, ut Fidejussione, Emtione vendit. &c. sibi speciatim competentibus, specifice tamen haud nominatis, renunciat. Eamque alii simpliciter validam pronunciant, vid. Carpz. P. 2. C. 17. D. 1. n. 4. Schilter Exerc. 48. n. 29. B. Menck. ad ff. d. Fidejuss. §. 14. alii tum demum, cum renuncians de beneficiis suis fuerit certioratus, quemadmodum in Ord. Polit. Magdeburg. C. 53. §. 9. cautum legitur, Stryck. in Us. mod. ff. d. Fidejuss. §. 17. In Saxonia tamen Electoral. expresse reprobata est talis renuntiatio per Const. El. 17. P. 2. Tutissimum hinc erit, generali aut subalternæ, specialem, quorundam jurium adjicere renuntiationem, v. g. renuncio tam excussionis, quam omnibus ac singulis fidejussori competentibus beneficiis, hoc enim casu, verba generalia, præcedentis renunciationis specialis naturam induere dicuntur, Dalner c. l. n. 7. Coler. c. l. n. 276. Köppen Decis. 53. n. 23. Atque hic renunciandi modus, jure speciatim Saxonico admittitur, per d. Const. 17. P. 2. ibique Carpz. Def. 2. si scil. jura nominatim non expressa, ita sint comparata, ut cum specialiter renunciatis quodammodo,

modo conveniant, nec nimis generalia sint, nec plane singularia, de quibus probabiliter cogitatum non est, Stryck. d. C. C. P. 1. C. 5. §. 2. Licet itaque fidejussor omnibus beneficiis, in specie pacti usurarii, erroris calculi, fraudulosæ persuasionis &c. renunciaverit, ideo tamen reliqua fidejussoribus in specie competentia jura, neutiquam censetur remisisse, Berl. P. 2. C. 22. n. 22. Carpz. c. l. def. 3. Juramenti tamen adjecti pondus id efficere plerique contendunt, ut renunciatio generaliter saltem concepta, in specialem convertatur, atque adeo omne jus ac beneficium, quod alioquin renuncianti patrocinio ac tutamini esse possit, pro specialiter expresso atque remisso habeatur, arg. C. 9. X. d. jurej. l. 77. §. 23. ff. d. legat. 2. Berl. c. l. n. 27. Carpz. d. l. Def. 5. Setser de juram. L. 1. C. 25. n. 73. quam quidem sententiam, in subalterna renuntiatione, de qua hic agitur, facile admittimus, minime vero ad generalem, qua scil. beneficiis omnibus, ac universis juribus, ex communi pactorum & conventionum indole emergentibus, nullo in specie nominato indiscrete renunciatur, adeoque nec ad casus, de generali renunciatione notatos, extendendam esse arbitramur, facilius enim de illis quam de his cogitasse præsumitur renuncians; imo & ipsum Berlichium atque Carpzovium c. l. ad subalternam tantummodo renunciationem respexisse, exempla ab iis adducta evincunt. Omnes tamen quæ insigni cumulo a Berlichio aliisque congestæ leguntur rationes, in hoc fere positas esse censemus: leges nimirum civiles, renunciationem generalem (quæ tamen ex naturalis juris simplicitate, omnino servari deberet, cum genere posito, etiam positam esse speciem, necesse sit, vid. Titius ad Lauterb. Obs. 554) ideo reprobarunt, quo præcipitantiæ hominum, qui rarius futura respiciunt, ac imprudenti sæpius consilio, in sui detrimentum facile quicquam admittunt, obviam eatur; hæc ipsa tamen levitas ac inconsiderata remissio, per sanctum juramenti usum purgata videtur, adeo ut hoc casu renun-

renunciationi generali, vel rectius ſubalternæ, eadem vis atque effectus, quem ſpecialis gignere ſolet, non immerito tribuatur.

§. VII.

Specialis denique renunciatio eſt, ubi quis certo ac in ſpecie nominato juri aut beneficio nuncium mittit; quæ ut ſuum in foro civili ſortiatur effectum, tribus potiſſimum requiſitis, ex definitione §. 2. ſuppetidata, promanantibus, conſtare debet: *Primo* ſcil. quoniam renunciatio eſt voluntatis declaratio & ſpecies pacti, hinc neceſſe eſt, *ut Renuncians, ſit perſona ad paciſcendum habilis*, i. e. conſenſum liberum & latis deliberatum, tam naturaliter, quam civiliter legitime declarare valeat. *Secundo*, cum & naturalia & civilia jura, læſionem alterius & juris ipſi competentis, prohibeant, hinc *jus aut beneficium pro ſolo renunciante ſit introductum, neque tertii alicujus, ſimul non conſentientis favorem concernat.* *Tertio* denique quia leges civiles, quosdam actus morales qui licet non per ſe & directe nocivi ſint, indirecte tamen & per conſequentiam civibus damna inferre poſſunt ac ſolent, juſte interdicunt, *inde renunciatio legibus prohibitivis haud contrarietur, potius, ut actus moralis, legibus undique conformis eſſe debet.* infr. §. 12.

§. VIII.

Quatenus igitur per Definit. §. 2. præſtructam, renunciationum objecta ſunt jura hominibus competentia; eatenus ſtatim patet, quod iis, quæ unica & neceſſaria humanæ felicitatis media conſtituunt, atque potius officiorum nomine inſignienda veniunt, uti ſanitatis ac vitæ noſtræ conſervationi &c. neutiquam renunciari poſſit. vid. Magnif. Dn. D. Mülleri Natur- und Völcker-Recht C. 3. §. ult. In reliquis autem omnes, qui conſentire, & paciſcendo ſemet obligare, illi & renunciationem, ut conſenſuale negotium, valide peragere poſſunt. Ad conſenſum vero, pactititium, tria potiſſimum requiruntur:

1) ſuffi-

1) ſufficiens rationis uſus ſ. facultas atque habilitas de præſenti negotio recte judicandi; 2) liberum voluntatis decretum; 3) denique mutua ejuſdem ſignis externis a partibus facta declaratio & acceptatio, vid. Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. L. 3. C. 6. §. 3. ſqq. Itaque ob primum requiſiti defectum, quem & phyſicum appellare ſolent, validitate deſtituuntur pacta & hinc quoque renutiationes furioſorum, infantum, extreme ebriorum. Cœcum vero mutuum vel ſurdum, quando ſignis evidentibus voluntatem ſuam exprimere valent, & aliis ſemet obligare & renunciare poſſe conſtat, vid. Stryck. de Jur. Senſ. Diſſ. 2. C. 1. n. 2. ſqq. cum tanta non ſint hæc vitia, quæ mentis ſanæ operationes impedire queant. De dolo, qui ſemper ignorantiam aut errorem decepti præſupponit, poſtea dicetur, ubi de ignorantiæ & erroris imputatione, accuratior tractatio habebitur.

Alterius requiſiti defectus, quem & moralem dicunt, invalida reddit pacta eorum, qui gravi & injuſto metu ad conſentiendum adacti ſunt; de cujus moralitate vid. omnino Magnif. D. Mülleri Natur- und Völcker-Recht, C. 10. §. 16. Injuſtus vero metus dicitur, qui ita comparatus eſt, ut inferens nullum jus habeat exigendi id, quod ab altero prætendit. Ergo ſi alteri jamjam obligatio incumbat, ad præſtandum id, quod & citra metum ſibi incuſſum præſtare debebat, hujus prætextu pacti invaliditatem neutiquam urgere poteſt. In ſtatu tamen civili, ubi vis privata penitus prohibita eſt, nec hac ratione pacta ſubſiſtunt, ſed metus atrocior a privato illatus ſemper injuſtus dicitur & ille qui id quod ab altero ſibi debetur, remediis violentis extorquet, hujus amiſſione punitur, cum magiſtratus auxilium implorare debuiſſet, l. 13. ff. quod met. c. aa. jg. ill. Bœhmeri J. Digeſt. Tit. quod met. cauſ.

Ad ignorantes, errantesve quod attinet, & qua ratione ignorantiæ aſſylum ipſis præſidio eſſe queat, non ſane penitus

sufficere videntur ea, quæ a LL. interpretibus indiscrete nimis vulgo proferuntur argumenta. Ita enim plerique philosophantur: Nulla renunciatio valet, ubi renuncians non exactam jurium suorum notitiam habet, nam juri ignoto nemo renunciare censetur, & ignorans nihil facit, de iis enim juribus quæ non intellexit renuncians, cogitare non potuit, & quæ sunt alia, vid. Dalner Tr. de Renunc. c. 1. n. 19. & 25. Alii variis inter ignorantiam & errorem vincibilem & invincibilem, efficacem & concomitantem, juris & facti &c. efformatis distinctionibus, rem incertam vix reddunt certiorem. Ex ipsis denique legum civilium regulis, in Tit. ff. & C. d. jur. & facti ignor. traditis, ut æque *incertis ac lubricis*, parum solatii habebis, adeo ut probe monente B. Thomasio in Annotat. ad d. T. satius omnino sit hujus rei fundamenta ex doctrina morali, quam Romanorum præceptis petere, siquidem hæc nullo ordine naturali cohærent, tantisque exceptionibus ac limitationibus implicantur, ut difficillima sit eorundum applicatio & praxis. Facilior sane hac in re undique erit decisio, quando ad naturalia de imputatione & indole pactorum principia recurrimus, secundum quæ ignorantia & error ei regulariter imputandus, cujus culpa, & imprudenti consilio fuit admissus, non vero alteri, qui erroris nescius, promissum paciscentis bona fide acceptavit. Neque regula ista, quod omnis error necessario excludat consensum, omni exceptione caret, sepe enim tam exigui momenti est error, ut licet abfuisset, errans nihilominus iniisset pactum. Sufficit paciscentem *sufficienti rationis usu instructum fuisse*, sibique non alteri tribuendam esse culpam, quando rem prouti potuit ac debuit, non exacte satis perpendit. Unicum namque consensus criterium sunt vel verba ore scriptis ve prolata, vel facta paciscentis intentionem probabili ratione indicantia, quandoquidem præter ea de propositis in mente retentis nemo judicare potest; unde si

verba

verba factaque alter, quemadmodum sibi ab altero sanæ rationis ac liberi arbitrii satis compote prodita sunt, accipit, pactum omnino adest perfectum validumque. Ex indubiis hisce præmissis: *Omne scil. damnum ei regulariter adscribendum esse, cujus culpa aut infortunio contigit;* Consensum vero pactitium ejus qui perfecto rationis usu ac libero voluntatis arbitrio gaudet non nisi ex verbis factisve ab eo editis judicandum esse; manifeste satis patet, a damno ex erroneo consensu suborto, haud prius *liberandum esse paciscentem, quam si non sua solum, sed & alterius simul partis culpa aut dolo in errorem l. ignorantiam fuerit adductus, vel ex ipsis verbis factisve, quibus consensum alteri fuit testatus certo aut probabiliter constare possit, circumstantiam s. causam istam, (sive jus, s. factum, s. certa rei qualitas fuerit) in qua erravit paciscens, ut restrictionem & conditionem consensus, expresse l. tacite ab eo fuisse suppositam.* Reg. I. Reg. II. Reg. III.

Cumque & *literis* sæpe conventionis tenorem tradere soleant contrahentes, his quoque *partium subscriptione munitis omnino standum, quanquam scribentis errore vitium irrepserit, aut sensum verbalem non satis perspexerit subscribens*, ni itidem ex verbis factisve, quibus consensus pactitius antè scripturam jam declaratus est, quibusve adeo ipsa innititur scriptura, alia eaque vera ejusdem mens ac intentio probari queat, quo imprimis l. 92. ff. d. R. J. L. 18. C. de probat. l. 10. C. de donat. & l. 1. C. plus val. spectant, majores veritati rei & ei quod vere inter paciscentes gestum est, quam quod scriptum, vires tribuentes. Reg. IV.

Quemadmodum vero, uti supra diximus, ignorantia & error pactum legitimis constans requisitis regulariter haud invalidum, *ita neque validum reddere potest pactum iisdem requisitis destitutum, aut singulari legis civil. dispositione reprobatum*, v. g. si quis filiofamil. statum ejus ignorans, mutuum dederit, ni forsitan falsa ac dolosa filiifam. patremfam. simulantis suggestione, in hunc errorem inductus fuerit creditor, vid. Reg. II.

tum enim non filiofam. decipienti, ſed Creditori potius decepto ſuccurritur, l. 1. C. ad SCt. Maced. eadem in ſimili caſu deciſio habetur, in Mand. Reg. d. a. 1724. von Aufborgen junger Leute &c. §. 4.

Error itaque l. ignorantia conventionem tum demum reddit nullam, quando vel culpa dolove alterius partis inductus fuerit errans, vel ex ipſis verbis factisve contractum antecedentibus aut concomitantibus vero ſimiliter colligi queat, circumſtantiam iſtam in qua erravit alter, ut neceſſariam conſenſus conditionem *tacite* ab eo ſuppoſitam fuiſſe.

Tacita autem hæc conditio & conſenſus determinatio tum adfuiſſe præſumitur, *quando error in parte contractus Subſtantiali* (cujus notionem jam ſuppeditavimus in ſpecim. Demonſtrat. jurid. de Subhaſtationibus anno 1739. edit. §. 27. in Schol.) fuit commiſſus, adeoque damnum ex eo veniens tanti eſt momenti, ut probabile ſit errantem, ſi vitium rei ſciviſſet, haut fuiſſe conſenſurum. Atque hic error efficax, it. Subſtantialis, conſenſum excluſivus vocatur.

Circumſtantias iſtas, quas paciſcentes ut conditiones conſenſus tacite reſpicere ac ſupponere ſolent, leges civil. quibusdam in caſibus certo determinarunt, ut in Emt. vendit. ratione læſionis ultra dimidium, it. vitiorum equi latentium & cardinalium, ut res vendita ab oneribus libera præſtetur, it. in donatione, ut donans ad præſtandam evictionem haud obligatus eſſe velit, it. in Sponſalibus ac matrimonio ut virgo ducta illibatam habeat virginitatem, vid. Carpz. Ipr. Conſiſtor. P. 2. D. 187.

Deficiente igitur ejuſmodi circumſtantia, quæ tanquam neceſſaria conſenſus pactitii conditio ac reſtrictio fuit ſuppoſita, pactum regul. eſt nullum, *ita ut alter electionem habeat, an alteri, qui tali errore conſenſum excluſivo læſus eſt, damnum inde*

deveniens resarcire, an vero ipsius pacti rescissionem seu restitutionem negotii in pristinum statum pati velit, i. e. quod accepit restituere læso, & recipere quod ipsi dedit. Sin autem ejus rescissionem nolit læsus, quin potius damnum perferre, pactum eatenus persistit, quoniam hoc casu alterius non interest. *Si denique in dolo fuerit lædens*, omnis electio est apud errantem læsum. jg. Menck. ad ff. d. resc. vend. §. 1. 8. 9.

Hinc patet simul differentia inter rescissionem pacti onerosi ut emt. vend., & pact. gratuiti ut donationis, si enim illud rescinditur, emtor rem venditam & venditor pretium restituit; sin vero hoc, nec donatarius nec donans quicquam restituit, hic enim nihil accepit, ille vero, ut ante dictum damnum ex errore sibi veniens ferre potest si velit, adeoque & rei donatæ licet vilioris aut deterioris quam putabat, traditionem exigere. Exemplum est in l. 22. de verb. obl. ubi si alter alteri æs donaverit, quod aurum esse alter putabat, nulla dicitur donatio, ita tamen ut æris nomine teneatur donans, cum nullum exinde damnum sentiat. Sin autem sciens fefellerit donatarium, ex dolo tenetur ad auri præstationem, *per Reg. II.* d. l. 22. j. l. 18. in f. d. donat. Idem dicendum, quando expresse ad evictionem se obligaverit, l. 2. C. d. evict.

Aliorum casuum in vita civili obvenientium, ex regulis suppeditatis, facillima erit decisio. Ita *Reg. II dam* confirmat l. 35. ff. d. pact. statuens: Eum qui ex ignorantia fraudis ab altera parte commissi transegit aut renunciavit, isto pacto non teneri, v. g. Si hæredes in instrumento super divisione hæreditatis confecto, juribus suis renunciaverint, ignorantes res quasdam hæreditarias ab altero cohæredum dolo esse subtractas.

Ita porro. si e. g. pro Auro Argentove, æs aut plumbum per errorem quis emerit, nulla est emtio, l. 9. §. 2. ff. d. contr. emt. quoniam ex ipsis contrahentium verbis factisve apparet, consensus pactitii objectum, aurum fuisse &c. *per Reg. III.*

Si hæres creditori defuncti caverit, ſe debitum ex hæreditate ſoluturum, poſtea vero maſſam hæreditariam debito minorem deprehendat, ultra vires ejus non tenetur, l. 31. ff. de cond. indeb. tacita enim ſubeſt conditio, ſi vires hæreditatis ſufficiant. *per d. Reg. III.*

Si hæres, legis falcidiæ beneficii ignorans, integra ſolverit legata, repetitio ceſſat, l f. §. f. ff. d. j. & f. ign. ipſum enim ſolutionis factum, tacitam hujus beneficii renunciationem involvit, ignorantia vero ipſi haud patrocinatur, cum propria ejus culpa evenerit, neque falcidiæ jus, ad legatorum ſubſtantialia pertineat; *per Reg. I.* ſecus dicendum ſi expreſſa conditione, ut ſi falcidia emerſerit ſuperfluum reddatur, ſolverit, l. 2. ff. d. cond. indeb.

Si pecuniam quam me tibi debere falſo exiſtimabam, juſſu tuo ſpoponderim ei cui donare volebas, poſtea vero me tibi nil debere appareat, exceptione doli mali tueri me potero, l. 2. §. 3. 4 ff. d. donat. tacita enim hac conditione, ſi vere debeam ſpopondi, *per Reg. III.*

Ita ex *d. Reg. III.* patet, l. 10. C. d. j. & f. ignor. quæ condictionem indebiti ex ignorantia juris ſoluti, competere negat, dum omnino limitationem pati, quando erronea ſolutionis cauſa, adeoque ipſius conſenſus obligatorii vitium, ex circumſtantiis ſolutionem antecedentibus aut concomitantibus, certo aut probabiliter colligi poteſt. Unde ſi v. c. hæres ab inteſtato, alios cognatos, jure ſtatutario iſtius loci haud ſuccedentes, per ignorantiam iſtius juris in diviſione hæreditatis admiſit, ſalvam omnino habet condictionem, quia nimirum hæc conditio: ſi ſcil. leges jus ſuccedendi tribuant cognatis, ut ſucceſſionis norma a dividentibus expreſſe fuit ſuppoſita, vid. Carpz. P. 3. C. 15. D. 42.

Atque

Atque hæ regulæ ex Juris natural & communibus rationis principiis deductæ, omnium omnino casuum, ubi de ignorantiæ & erroris imputatione quæstio incidit, decidendorum constituunt normam, ni paucas personas, quarum ignorantiæ leges civil. ob præsumtum judicii aut prudentiæ defectum, ex ætate, educatione, & imperito vitæ genere oriundum, indulgentiam fecere, excipias: Pupillos scil. Minores, quandoque & Milites, Rusticos ac Fœminas, hac tamen distinctione, ut pupillis & minoribus in negotiis ignorantia juris gestis aut omissis & notabilem læsionem continentibus, ob singulare ætatis privilegium in l. 44. l. 7. §. 6. ff. & l. 8. C. de minor. ipsis concessum, indistincte restitutionis auxilio succurratur; hac ratione si minor filiosam. crediderit, subvenitur ei, ut non videatur filiosam. credidisse, l. 9. pr. ff. d. j. & f. ign. Reliquis vero personis talis ignorantiæ excusatio certis tantummodo casibus, imo & tunc non nisi deficiente Jurisperitorum copia & consulendi occasione, patrocinium præstat, per l. 9. §. 3. ff. eod. l. 10. d. bon. poss. l. 2. in f. quis ord. in poss. Cum autem nostris temporibus JCtorum copia ubivis locorum fere abundet, exiguum ignorantiæ usum, militibus, rusticis ac fœminis amplius superesse deprehendes; Brunnem. ad l. 9 ff. d. J. & f. ign. n. 4. & ad l. 1. C. eod. n. 14. Ludovici Doctr. ff. d. T. §. 2. B. Menck. ad ff. e. T. §. 5. Dn. de Wernher Obs. for. 52. Nihilominus tamen in fœminarum interceſſionibus, quarum validitas ex adjecta privilegii SCti. Vellej. renunciatione pendet, ſpecialem hujus explicationem & certiorationem, usualis DD. opinio & praxis requirit; hæc vero, an & in jurata hujus privilegii renunciatione necessaria sit, ita ut omissa certioratione tota fidejussio & renuntiatio jurata corruat? non conveniunt DD. & hanc quidem sententiam amplectuntur Mascard. de probat. Concl. 1080. no. 22. Carpz. P. 2. C. 16. n. 19. Zanger. de Except. P. 3. C. 11. n. 204. eamque certiorationem in foris Saxonicis esse

esse de substantia fidejussionis muliebris etiam juratæ ex Decis. El. 25. patet. Nihilominus ubi leges statutariæ præter juramentum eandem expresse haud desiderant, ex verioribus principiis & Jure Canonico contrariam omnino defendimus sententiam, cum Zœsio ad SCtum Vellej. Hering. de fidejussor. C. 7. n. 507. Gail. L. 2. Obs. 77. n. 10. Brunnem. ad l. f. ff. d. SCto Vellej. n. 17. Struv. Exercit. 21 th. 10. Schilt. Exercit. ad ff. 28. §. 9. Enimvero vix solida subesse videtur ratio, quamobrem fœminas ex contractibus suis non perinde ac mares firmiter teneri statuamus, præprimis cum curatorum aliorumque jurisperitorum adjutorio atque consiliis raro destituantur, adeo ut hocce beneficium Romanorum subtilitates nimis redolens, ut supervacuum nostrisque moribus haud conforme, rectius eliminandum esse plures perspexerint, vid. Thomas. Dissert. de exiguo usu SCti Vellej. Titius Obs. Lauterb. 444. & 445. Dn. D. Freisleben in Introd. Jurisprud. civil. L. 1. C. 1. §. 14. Existente igitur, hoc casu, naturali ac perfecta ad servandam fidejussionem obligatione, quam quidem ad juramenti efficaciam sufficere, §. 5to. satis demonstratum dedimus, nil supersest dubii, quin fœminam etiam non facta hujus beneficii explicatione, ad renunciationis ac fidei juratæ observantiam omnino teneri censeamus, cf. C. 9. X. de jurej. Unde & Cautela quam Stryckius dissentiens in Us. mod. ff. ad SCtum Vellej. §. 23. suppetidat, mulieri scil. solutionem, obtentu certiorationis omissæ detrectanti, malitiæ juramentum esse deferendum, fere abundans videtur, cum extra Saxoniam vel sola jurisjurandi a fœmina intercedente facta interpositio, ad tollendum privilegii Vellejani usum, prout ex dictis patet, sufficiat. Reliquis quæ forte de pupillorum, minorum, mulierumve renunciationibus adhuc commemoranda forent, supersedemus; quæ enim circa harum personarum pactiones & contractus regulariter attendenda sunt requisita solennitatesve, eadem & hic ob negotii paritatem

tatem adhibendæ veniunt, quæve in singulis fere jurium Systematibus uberius jam pertracta leguntur. vid. Stryckii Tr. de Caut. Contr. S. 1. C. 2. per tot. B. Menck. ad ff d. Pact. §. 12. de fœminis Saxonicis speciatim, Const. El. 15. P. 2. Dec. nov. 24. & Mand. Reg. d. d. 18. Nov. 1722. Ord. Proc. Rec. sub No. 12. annexum.

§. IX.

Hæc de primo validæ renunciationis requisito. Jam p. §. 7. Ildo requiritur, ut jus aut beneficium pro solo renunciante sit introductum, & tertii alicujus, simul haud consentientis, favorem non concernat. Jus enim tertii per alterius pactum lædi, nullo jure permissum, l. 27. §. 4. ff. d. pact. & quod ex lege alicui datum est lucrum, privatus aufferre non potest; Nov. 22. C. 33. Imo & principum, quæ subditis quandoque indulgent, concessionibus, tacita semper inesse dicitur clausula: salvo jure tertii l. 2 §. 10. & 16. ff. ne quid in loc. publ. Eam ob causam lex 31. & l. fin. c. locat. milites a fidejussione nec non prædiorum conductionibus prohibere constituit, ne scil. ab armis pro republica gestandis avocentur, & vicinis graves existant; Unde & isti privilegio, in reipublicæ romanæ, bellis eo tempore plurimum turbatæ, favorem constituto, valide haud renunciabatur. vid. Hopp. Comm. ad Inst. §. 14. d. Excusat. Tutor. & pr. J. d. fidejuss. Hodiernis autem moribus, & fidejussiones, & conductiones, & emtiones, & quosvis alios contractus valide ineunt milites, communi totius Germaniæ usu probante. Grœnwegen de leg. abrogat. ad d. l. 31. C. Beyer ad ff. locat. pos. 19 Not. a. Cum enim tanta armorum impedimenta, quæ Romani inde forsitan sentiebant, nostris temporibus non amplius observentur, atque damna reipublicæ, ex militum contractibus venientia, ea jam non sint, quæ in statu bellicoso reipublicæ romanæ erant; inde nec militibus nostris, communem paciscendi ac contrahendi libertatem, hodie quisquam in

dubium amplius vocabit. jg. Ludovici Doctr. ff. d. fidejuſſ. §. 4. Alia ratio eſt introducti & perpetuum valituri SCti Macedoniani, cujus beneficio, ne jurato quidem renuneiare poterunt filiifamilias, quippe quod non in filii tantum, ſed patris maxime favorem introductum eſt. Struv. Exerc. J. C. 20. Th. 55. & Exerc. 17. th. 23. Brunnem. ad l. f. C. d. SCto maced. n. 7. Accedit, pecuniam filiofamil. concreditam, vel ad malum finem, utputa luxum, vel ad finem bonum ac veram ejus utilitatem datam eſſe atque expenſam; priori caſu & renunciatio & jusjurandum, morum corruptioni anſam præbens, vinculum foret iniquitatis; Stryck. Uſ. mod. ff. d. SCto Maced §. fin. cf. Mand. Reg. d. a. 1718. wegen derer Studioſorum Wechſel-Brieffe ꝛc. poſteriori vero, & filius & pater etiam non facta renuntiatione ad ſolutionem ſunt obligati, l. 7. §. 13. ff. l. 5. C. ad SCt. Maced. hinc utroque caſu ſupervacua erit cenſenda renunciatio. Quodſi vero filius a patria poteſtate poſtmodum liberatus, proprium nanciſcatur patrimonium, aut pater e vivis decedat, annon tunc ob juratam SCti renuntiationem, ad debiti antea contracti exſolutionem, naturaliter minimum obligatus erit? omnino arbitror; ratio enim diſpoſitionis commemorata, præjudicium nempe patris, ceſſat, legesque filiumfamilias bonam fidem agnoſcere, mutuoque accepta reddere nuspiam vetant, l. 7. §. f. & l. 9. §. 4. d. T. ita ut hoc caſu debitam creditori ſatisfactionem, illæſa conſcientia denegare vix queat. Brunnem. ad l. 10. ff. n. 3. & l. 11. n. 7. d. T. Stryck. c. l. §. 12. Beyer ad ff. d. SCto. maced. in princ.

Eum qui aliquam bonorum partem alteri donavit, ſimulque l. 8. C. d. revoc. donat. renunciavit, ad ſervandum hujus beneficii in ſui favorem conſtituti, remiſſionem obſtrictum eſſe conſtat; Carpz. P. 2. C. 12. Def. 33. Stryck. d. Caut. Contr. S. 3. C. 9. §. 7. niſi legitima liberorum ſupervenientium portio exinde minuatur; tunc enim pro parte legitimæ iterum revocari

cari poteſt donatio, non vero, ut quidem ſentiunt, in totum, atque ita revocationi donationis ob ſupervenientiam liberorum, renunciare poteſt donator, non vero revocationi donationis inofficioſæ, l. 1. C. d. donat. inof. Nov. 92. Beyer ad ff. d. donat. poſ. 13. ſqq.

§. X.

Foro etiam competenti quandoque renunciare ſolent contrahentes aut litigantes, de cujus renuntiationis, quæ & voluntaria jurisdictionis prorogatio audit, validitate & effectu non una eſt DD. ſententia. Varias eorundem opiniones recenſet Dn. D. Kemmerich in Diſſ. de Prorogat. jurisdict. Vitteb. 1727. hab. §. 19. interim nec ipſius ſententia §. 20. ſubjuncta, nei ſatis incertæ enodandæ ac definiendæ, ſufficere videtur. E primis itaque ſuis principiis repetenda erit difficillimæ hujus materiæ demonſtratio. Romanorum certe legibus, cuilibet foro ſuo renunciandi & judicem alienum citra competentis conſenſum, in cognoſcenda & decidenda cauſa eligendi licentia dabatur l. 1. & 2. ff. d. judic. l. 1. d. jurisd. l. 29. C. d. pact. Inſigni enim populus & imperii romani ſubditi hac in re gaudebant libertate, eorumque arbitrio unice erat commiſſum, cuinam judici cauſæ ſuæ tractationem atque judicium demandare vellent, cf. Vultej. d. Jurisd. p. 78. Quemadmodum vero hæc licentia effectus erat democraticæ & concurrentis populi romani in ferendis legibus reque publica gubernanda poteſtatis, quam ante imperatores, quin & ſub imperatoribus ad Hadriani fere tempora tenuiſſe conſtat, cujusque reliquias in variis jurium ſpeciebus v. g. in abſoluta patris in familiam, filios atque ſervos poteſtate, ſingulari & arrogantiſſima civis romani præ peregrinis prærogativa, &c. in ſyſtema LL. a Juſtiniano collectarum, hinc ibi relatas legimus; ita noſtris moribus, ubi alia plane imperii, juriſdictionis & judiciorum in Germania eſt forma faciesque, ubi ſcil. non Ariſtocratico-democratico, ſed

Monarchico magis regimur ſtatu, neque amplius cognitio, deciſio & executio cauſarum ſeparatæ ac diverſis magiſtratibus, ſed unius regulariter arbitrio ac moderamini ſint demandatæ, ipſa quoque jurisdictio maximam partem hodie ſit patrimonialis & hæreditaria, & in favorem magis ac utilitatem collegii autcertæ perſonæ quæ magiſtratus munere fungitur, ſit conceſſa, ita ſcil. mutata plane jurisdictionis facie, ſubditorum quoque libertas in eligendo judice, non parum videtur reſtricta. Poſtquam enim, introducto ſcil. monarchico ſtatu, populique autoritate in condendis legibus extincta, ſummi rerumpubl. Imperantes quos penes omnimoda jurisdicundi poteſtas eſt, eandem poteſtatem, juſtitiæ tanto rectius feliciusque adminiſtrandæ, aliis iterum dexteritate probatis perſonis aut collegiis indulſit, his autem pro diverſitate cauſarum pariter atque diſtrictuum certas perſonarum universitates continentium, ſuas præfinivit atque conſtituit limites, quos intra ſuam exercerent jurisdicendi poteſtatem; tum liquido patet, neque ſubditis nec magiſtratibus integrum eſſe, ordinem hunc publica imperantis autoritate ita conſtitutum turbare pro lubitu atque confundere. Inanis hinc erit actio coram judice alieno, nec ratione perſonæ nec bonorum rei competente inſtituta, utpote cui nulla competit facultas, alienæ jurisdictionis ſubditum, ex foro ſuo ordinario evocandi, aut condemnatum remediis coactivis coercendi, hoc enim eſſet turbatio ac violatio juris ac privilegii judici ordinario ſolum competentis, adeoque ſpe executionis ceſſante, fruſtra inanis proceſſus inſtitueretur. Neque judex competens, hoc caſu ad ſiſtendum reum aut judicata exſequenda cogi poteſt, cum ei ſoli jus cognoſcendi, judicandi & executionem peragendi in cauſis ſubditorum ſuorum, principis beneficio competat, quod ſolo ſubditorum tanquam privatorum arbitrio, in alium judicem transferri neutiquam poteſt. Talis igitur renunciatio, ut Germanorum ſtatui pariter

ter ac indubitato legum præcepto, quod alterius jura ulla pactione lædi vetat, contraria, & absque judicis ordinarii consensu merito inanis erit dicenda. Hujus sententiæ æquitatem ipsi pontifices secuti, jam dudum statuere: Clericos, sine episcopi proprii consensu, nec in alium judicem ecclesiasticum consentire posse, per C. 1. & 18. X. d. for. comp. Cap. 1. eod. in 6to. Quicquid igitur dissentiant Stryck. in Usu mod. ff. d. Jurisd. §. 22. Schœpfferus, Bayerus ad ff. d. T. aliique, horum tamen sententia unice ex legibus Romanorum, eorundem statui adaptatis, petita est, neutiquam vero ad nostri imperii atque judiciorum ordinem atque constitutionem quadrat. Certe quoad Saxoniam nostram plures extant prohibitiones, ne magistratus magistratum in jurisdictione sibi competente, ullo modo turbet, actusque jurisdictionales in subditos alterius judicis exerceat. Ita magistratus etiamsi ratione causæ sit competens nihilosecius citationes, mediante judicis quoad personam rei competentis requisitione emittere tenetur, vid. Neu-Erl. d. Landes-Gebrl. d. a. 1661. von Consistorial-Sachen, §. 11. O. P. S. Rec. T. 1. §. 9. Superiora quoque judicia, Commissionum dationes, avocationes causarum, Commissariorum adjunctiones, non nisi causa legitima urgente, adhibitaque aliquali ejus cognitione, suscipere jubentur, addita expressa ratione: **Damit niemand an seiner habenden Gerichtsbarkeit zur Ungebühr beeinträchtiget werde** ꝛc. O. P. S. R. c. 1. Quemadmodum igitur hæc omnia sufficienter docent, hodiernam jurisdictionem esse jus in favorem non modo subditorum sed vel maxime etiam magistratuum introductum, ita ex validæ renunciationis requisito altero §. 9. præmisso, facile colligitur, jus fori competentis, nostris temporibus non amplius simpliciter esse renunciabile.

Videamus igitur casus, ubi ex natura renunciationis validæ, fori quoque renunciatio sortitur effectum. Prouti scil. omnis

omnis renunciatio juris, non ſolius renunciantis ſed & tertii alicujus favorem ac uſum reſpicientis, validitatem naneiſcitur, quando tertius ille, conſentiendo aut ratihabendo renunciantis factum comprobat, ita & fori renunciatio ſuum pariter producit effectum, cum judex ordinarius & competens expreſſe aut tacite conſentiat. Iſtud contingere poteſt, quando e. c. Inſtrumentum contractus a partibus ſibi oblatum & fori prorogationem continens, judiciali conſenſu firmat; hoc, ſi citationes ſubſidiales a judice prorogato transmiſſas, partibus coram hoc judice litigantibus, ſpote inſinuaverit.

Porro & eo caſu valorem habebit hæc renunciatio, quando reus coram incompetente ſemel comparuerit, ibique omiſſa fori declinatoria exceptione, litem fuerit conteſtatus; iſta enim ante litisconteſtationem non oppoſita, amplius haud attenditur, l. 12. & 13. C. de except. O. P. S. V. & Rec. T. 9. §. 1. hæc vero ubi cœpta ibi & finienda eſt l. 30. ff. d. Judic. Cum enim partes conſentientes, vel privatum quendam, nullo magiſtratus munere fungentem, cauſæ ſuæ arbitrum & deciſorem eligere queant, haud dubium erit, eos multo magis judicem publica autoritate conſtitutum hac ratione adire, ipſique cognitionem ac deciſionem cauſæ committere poſſe, adhibitis tamen hiſce limitationibus: 1) ut judex hic arbitrarius, illam in ſpecie jurisdictionem habeat, quæ in cauſa prorogata requiritur. Brunnem. ad l. 1. ff. d. Judic. n. 3. & ad l. 18. ff. d. Juriſd. n. 2. cum aliarum cauſarum cognitionem atque jurisdicundi facultatem, quam a principe conceſſam, arrogare ſibi nequeat; hinc ridiculum foret, ſi duo mercatores Lipſ. in cauſa quadam mercantili diſſidentes, Conſiſtorii Lipſ. cognitionem & arbitrium eligere vellent. IIda. reſtrictio eſt ut judex iſte prorogatus, terminos & poteſtatem arbitri ordinariam haud excedat, adeoque ab omnibus mediis violentis & compulſivis in perſonam ſibi non ſubjectam, v. g. citatione reali, incarceratione, actibus executoriali-

torialibus propria autoritate & absque competentis requisitione peragendis, abstineat. Competens autem judex suum hoc casu denegare haud potest auxilium, & si denegare velit, impetrato superioris mandato ad id præstandum adigi poterit.

Interea negandum non est, difficultates & protelationes, quas judex ordinarius in sistendo & mulctando contumace, it. executione peragenda, nectere potest, rarissimum facere casum voluntariæ fori prorogationis, monente Carpz. in Proc. T. II. a. 1. n. 18. j. Titius ad Lautb. Obs. 134. nec facile in pragmaticis commentationibus reperies casum prorogatæ solo partium consensu jurisdictionis. Non potest sane ordinarius judex, eundem procedendi ordinem servans, in sui contemtum non referre, quando sibi subjecti, magistratus alieni utuntur judicio, quasi iste non eadem dexteritate justitiæ administrationem ipsis habiturus sit atque hic.

Forum quod quis ex contractu aut solutione destinata nanciscitur, ordinarium potius ac necessarium, quam prorogatum & voluntarium est, vid. B. Thomas. ad ff. T. de Jurisd. p. 43. Siquidem publicæ utilitatis causa utroque jure constitutum legitur, debitorem in loco contractus aut destinatæ solutionis præsentem, ejusdem judicis jurisdictioni esse debere obnoxium; ex qua singulari, utilissima, nostroque rerum publicarum statui haud repugnante Dispositione, generalis licentia publicum jurisdictionum ordinem privata quavis pactione turbandi ac confundendi, neutiquam poterit deduci atque tueri. j. Struv. S. J. C. Ex. IV. Th. 59.

Forum autem contractus dicitur, in quo contractus consummatus, aut scriptura desuper fuit confecta, l. 19. §. 2. ff. d. Judic. l. 17. C. d. fid. instr. nisi solutio in alium locum fuerit destinata, tum enim eo in loco contraxisse unusquisque intelligitur, l. 21. ff. d. Obl. & Act. In tali igitur foro reus præsens conveniri potest, etiamsi domicilium ibidem non habeat, C. 1. §. contrahentes.

hentes. de for. compet. in 6to. Hocce deſtinatæ ſolutionis forum dividi poteſt in *ſpeciale*, quando ſolutio certo & ſpeciali loco facienda, v. g. Lipſiæ, & *generale*, quando ubivis locorum, v. g. aller Orten wo der Debitor anzutreffen, promiſſa eſt cf. D. Franckens Inſt. jur. cambial. Lib. 2. S. 7. Tit. 2. §. 2. Adeoque magiſtratus Saxonici, adverſus debitores cambiales tali loco deprehenſos, ad creditorum inſtantiam recte procedere queunt, ita ut nec opus ſit ſpeciali ad arreſtum reſcripto; ita enim Ord. Proc. S. rec. in App. §. 12. diſponit: Daß einer jeden Obrigkeit, wo die Debitores ihr forum haben, oder NB. ſonſt nach Beſchaffenheit der Umſtände aus dem Wechſel-Briefe belanget werden können (quod ſcil. fieri poteſt in loco ubi cambium contractum, aut ſolutio promiſſa eſt) auch ohne vorher extrahirtes Wechſel-Reſcript, dergeſtalt zu verfahren freyſtehen ſolle ꝛc.

Quemadmodum vero Judices inferiores, Schrifftſaſſios & ſuperiorum ordinum perſonas, citra ſpecialem principis conceſſionem, in cauſis civilibus ad ſua fora trahare nequeunt; ita nec in cambialibus adverſus eos procedere queunt, ſed reſcripto arreſtatorio a regimine Dreſdenſi, aut Curiis ſupremis tanquam illorum competentibus, impetrato opus eſt, vid. Dn. D. Siegel Tr. de Cautel. camb. C. 4. §. 20. Nihiloſecius tamen Præfecto regio, una cum Senatu ampliſſ. Lipſienſi, reſcriptum arreſtatorium generale d. a. 1718. clementiſſime datum eſt, vi cujus etiam Schrifftſaſſios, Lipſiam nundinarum tempore adeuntes, citra peculiare reſcriptum, arreſto cambiali detinere poſſunt; cujus verba exhibet Dn. D. Dicœlius in Diſſ. d. Camb. traſſat. §. 59. Adverſus eos autem Schrifftſaſſios, qui extra nundinas accedunt, aut in ipſa civitate Lipſ. domicilium ſuum habent, ſine dubio non niſi Curia provincialis ſuprema, arreſtum cambiale decernere poteſt: Cum verba iſtius reſcripti ſpecialis, ultra expreſſam ejus rationem, nimine ſint extendenda. Milites

quoque

quoque ob fori privilegium omni jure ipsis concessum, in causis quibusve personalibus, necessario coram regimine suo militari conveniendi sunt, adeoque vix crediderim, adversus eos in officio adhuc constitutos, (honeste enim dimissi, & quidem Officiarii superiores Mand. reg. d. a. 1722. vi commissionis generalis, ad Præfectorum cognitiones pertinent. vid. Dn. D. Krausii Tr. Syn. Proc. Sax. L. 2. C. 9. §. 6. & 7.) ab aliis magistratibus, absque speciali rescripto, cambiale arrestum posse decerni jg. B. Menck. ad ff. d. Judic. §. 45. In genere hic notandum quod præter Vasallos, Schrifftsassii sint uel dignitarii, ut Consiliarii, principisque ministri ordinis superioris, etiam titulares, vel tantummodo Officiales, qui tantum officii alicujus administrationem absque peculiari dignitatis charactere habent, v. g. Præfecti, Amts-Schössere, Forst-Meisteer ꝛc. Hi depositio l. ademto officio, magistratui loci subjiciuntur, ubi deinceps commorantur; Illi vero forum privilegiatum perpetuo retinent, prouti quotidiana Observantia testis est. Cæterum sola nobilitas in Saxonia haud videtur efficere conditionem Schrifftsassicam, siquidem solis nobilibus absque muneris, aut feudi Schrifftsassici possessione aut investitura simultanea, consideratis, nullibi forum privilegiatum tribuitur, isti potius coram præfecto aut magistratu loci, ubi domicilium habent, conveniendi sunt. vid. Sächs. Ober-Hoff-Gerichts-Ordn. zu Leipzig Tit. wer vor das Ober-Hoff-Gericht mag geladen werden.

In genere quoque existimaverim, debitores extraneos, in foro contractus aut destinatæ solut. deprehensos, coram eo tantum judice istius loci esse conveniendos, quem agnoscere deberent, si in eo loco domicilium haberent; quando v. g. extranei cujusdam principis minister, aut Schrifftsassius, ad Lipsensis Curiæ circulos haud pertinens, contractum Lipsiæ celebravit, aut solutionem ibidem faciendam promisit, in hac civitate deprehensus, a debitore non coram Senatu aut Præfecto, sed Curia potius provinciali conveniendus erit, ne & hoc casu Schrifftsassiorum jura lædantur. Cæterum quoad Debitores peregrinos & alius reipubl. subditos, ex Obs. B. Titii ad Lautb Obs. 153. hoc præcipue considerandum, an in ea regione & provincia ubi ex contractu actio-

nem instituere vult creditor, immobilia aliave habeant bona, ne forte objecto & spe executionis cessante, inanis & frustranea evadat actio.

§. XI.

Neque silentio prætereunda acris illa DD. disceptio: an scil. Debitori obærato & solvendo haud existenti, hæreditatis sibi delatæ aut deferendæ, repudiandi renunciandive licentia, in noxam Creditorum sit concedenda? In tres potissimum partes discedunt interpretes Collegiaque juridica; sunt qui hæreditatis s. delatæ, s. speratæ renuntiationem indistincte admittunt; sunt alii qui hanc indulgentiam, ad hæreditatem saltem deferendam restringunt, ad delatam vero minime producendam esse statuunt; sunt denique quibus nec speratæ, nec delatæ hæreditatis renunciatio, debitori nominibus obruto, indulgenda videtur. Prior sententia innititur verbis dispositivis famosæ leg. 6. pr. & § sqq. ff. quæ in fraudem creditor. Altera ex observantia ac usu practico JCtorum Saxon. pendet. Ultimam vero æquitas juvat. Equidem altera, priori longe præferenda, ob æquiorem causam, qua huic præpollet, ast sequiorem sententiam æquitate non superat; Manifestum enim creditores fraudandi consilium, non modo in hæreditatis delatæ repudiatione cernitur, cum nil interfit, sive debitor bonorum partem directo alienet, sive lucrum sibi delatum, cujus acquisitio a solo ejus arbitrio pendet, repudiando perdat; verum etiam hæreditatis deferendæ renunciatio, non omnem fraudis reatum excludit, uti ex consequentibus patebit; hinc quod ad differentiam, delatam inter ac deferendam hæreditatem hucusque communiter receptam, in ea distinguendi fundamentum merito desiderari potest. Proinde tutius, pariter ac summis legum præceptis magis conforme erit, nullum inter delatæ ac speratæ hæreditatis repudiationem renunciationemve admittere discrimen, legem citatam 6. vero, ut æquitati, & legum patriarum argumentis repugnantem, minus attendere. Legis sententia hæc est: Debitor obæratus, qui non acquirit, fraudis expers censetur; Æquitas vero ac ratio sic statuit: Quicun-

que

que debitor ſciens bona ſua ad ſatisfaciendum creditoribus non eſſe ſuffectura, media ad ſatisfaciendum idonea ſtudio negligit, a fraudis ſuſpicione non eſt immunis; atqui doloſus decoctor, hæreditatem deferendam aut delatam repudians, tale medium reſpuit, ergo conſilii fraudulenti vel maxime ſe reddit ſuſpectum. Idque ex duplici cauſa, primo enim æsalienum fraudandi animo conflavit, poſtea mediis ad ſolvendum aptis renunciat, & eo ipſo dum lucrum, quod Creditorum ſatisfactioni inſervire poſſet, avertit impoſtor, iteratam Creditoribus læſionem molitur. Certe ſi debitorem qui acquirenda repudiat, a fraudandi animo immunem dicere velis, talem ſupponas neceſſe eſt, qui eo tempore quo juribus acquirendi renunciat, fraudem in Creditores nondum admiſit, atque tot tantisque nondum obrutus eſt nominibus, quibus ſolvendis eſt impar; Cum vero ſemel damnoſus creditoribus fuerit debitor atque malus, tum quoque talis præſumitur, cum in eodem genere delicti, novo ſcilicet damno iis infligendo verſetur. Sane decoctor doloſus, & fur, imprimis jxt. Mand. Reg. adverſus Bancoruptores §. 12. v. fände ſich aber ꝛc. pari paſſu cenſentur; prouti igitur fur, etiamſi res ablata caſu perierit, ſemper in mora eſſe dicitur; ita decoctor, ſemper eſt in reatu fraudis, ſive de bonis quicquam diminuat, ſive aliquid non acquirat, ſeu bona futura ex quibus damnum dolo datum reſarciri poſſet in anteceſſum ſponte repudiet. arg. l. f ff. de Condict. furt. Nec quicquam movet communis illa ac putativa, delatam inter ac ſperatam hæreditatem differentia, ejusque vulgo ablata ratio: hæreditatem nimirum deferendam ab incerto eventu pendere, delatam vero jus certum ac præſens conſtituere, unde illius renunciationem facilius concedendam eſſe ſtatuunt. Verum enim vero, quilibet perſpicit, hancce diſtinctionem haud tollere læſionem ac dolum renunciantis, ſufficit jamjam exiſtere jus ſuccedendi & acquirendi conditionale; ſufficit exiſtere poſſe caſum futuræ delationis atque ſucceſſionis, quo jure retento, creditoribus aliquando ſatisfieri poterat; ſufficit ipſis creditoribus, maxime hypothecariis, vi moti concurſus, quævis debitoris bona, præſentia æque ac futura,

jura tam perfecte quam imperfecte quæsita obligata esse, arg. O. P. S. V. Tit. 51. §. 8. & Tit. 48. §. 1. sufficit denique & leges & æquitatem creditoribus deceptione læsis potius, quam debitori doloso ac decipienti favere; indeque evenit, Summum provocat. Tribunal, quod Dresdæ est, hanc ipsam sententiam, ut æquissimam in Concursu Creditorum George Wagners in Chemnitz ꝛc. Mens. Febr. 1724. iterumque in Concurs. Cred. Gottfried Winckelers in Leipzig pronunciando secutum esse Mens. Mart. 1726. eamve, interposita Leuterat. postea confirmasse. Indubitati cæterum juris est, fiscum si inter creditores concurrat, etiam ea quæ a debitore non acquisita aut repudiata sunt, revocare posse. p. l. 45. ff. d. jur. fisc. ubi expressa hujus dispositionis ratio, quo scil. omnis debitoris fraus puniatur, tanquam generalis, ea quæ hucusque dicta sunt, satis confirmat.

§. XII.

Progredimur denique ad III. renunciationis requisitum, quo scil. ista legibus omnino conformis esse, hinc citra fraudem legis prohibitivæ fieri debet. §. 7. Quæcunque igitur renunciatio legibus prohibitivis adversatur, adeoque si effectum sortiretur, mali facinoris causa foret, nullo valore erit dignanda. Lex autem hic attendenda venit tum naturalis, tum civilis, ita ut ex illius statim præceptis, renunciatio bonis moribus contraria, quæ scil. turpem continet causam, aut contra decus ac honestatem publicam est concepta, maxime cum delinquendi occasionem præbeat, prohibita ac invalida censeatur, l. 27. §. 4. ff. l. 6. & l. f. C. d. pact. quo & pertinent ea facta, quæ licet non directo, per consequentiam tamen, & secutura facile aliorum imitatione, Reipubl. detrimentum gignere solent. Quædam enim prohibentur, quia per se mala sunt, ut furtum, adulterium &c. quædam vero ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur: sunt verba Cap. 26. X. d. jurej. Atque huc refert. l. 15. ff. de condit. instit. omnia facta quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & in genere contra bonos mores fiunt, ea enim nec facere nos posse credendum. Ita valore destituitur renunciatio legis Commissoriæ, l. f. C. d. pact. pign.

pign. it. uſurariæ pravitatis & anatociſmi exceptionis, vid. Carpz. qu. Crim. 92. n. 44. Brunnem. ad l. 26. ff. d. Cond. indeb. Sic nulla pactione effici poteſt, ne dolus futurus præſtetur; l. 27. §. 3. d. pact. l. 1. §. 7. depoſ. l. 23. ff. d. R. I. alia exempla ſuppeditant l. 9. ff. d. Condit. inſtit. l. 5. §. 1. d. pact. dotal. l. 26. & 27. d. V. O. l. 35. § 1. eod l. 14. §. 1. ff. ſol. matr. C. 25. v. illud autem X. d. jurej. Cauſ 22. qu. 4. Dolo autem præterito, cujus notitiam habet læſus, volens non prohibetur renunciare, d. l. 27. §. 4. ff. d. pact. Stryck. C. C. S. 1. C. 4. §. 10. Servanda quoque ejuſcemodi renunciatio, ſi uterque contrahentium in pari verſetur turpitudine, ubi id quod hoc modo alteri remiſſum aut donatum eſt, repeti nequit, licet tale promiſſum, nondum exſolutum, jure exigi haud poſſit; p. l. 3. 4. & 8. ff. d. cond. ob turpem l. inj. cauſ. Ita v. c. ſtuprata quæ ante coitum ſtupratori dotationem poſtea ſibi faciendam expreſſe remiſit, eam deinde ſub renunciationis contra bonos mores factæ prætextu, rurſus petere vix poterit, cum turpitudinem, quam in ſe probavit, in illo improbare nequeat, adeoque id, quod correo turpitudinis vere jam donavit, neutiquam exigere poſſit, d. ll. j. l. 47. ff. ſol. matrim. Diſſent equidem hoc in caſu illuſtr. Dn. de Berger in Oec. Jur. p. 825. in fin. ubi, nihil obſtante tali pacto, ſtupratori dotationem incumbere, adſtruit, addita hac unica ratione, quoniam ejusmodi pactum ex impetu amoris initum cenſeatur. Sed poſito, impetum amoris huic pacto anſam dediſſe, qua ratione talis impetus tanquam illicitus & reprobatus, ſtupratæ patrocinari poterit? cum potius conſtet, quod affectionis gratia, neque honeſtæ neque inhoneſtæ donationes ſint prohibitæ; l. 5. ff. d. donat. accedit quod obligatio ad dotandum, intereſſe privatum ac commodum ſtupratæ tantum concernat, atque in compenſationem injuriæ per ſtuprum ipſi illatæ, ſtupratori incumbat, Cz quæſt. 68. n. 87. & 88. Titius in Spec. Jur. Eccl. L. 4. C. 5. § 10. Beyer ad l. d. publ. lud. poſ. 41. Not. y. quid igitur obſtat, quo minus ſtuprata, huic dotationis lucro, in ſuæ ſolius favorem introducto, valide renunciare poſſit? Cœterum renunciatio bonis moribus & legis prohibitivæ ſanctionibus contraria, nec juramento confirmata valet, ſed

ſine perjurii periculo, ab ea recedere licet, C. 58. d. R. I. in 6to Cauſ. 22. qu. 4. c. 8. Nov. 51. pr. ita enim imperator Juſtinianus in d. Nov. *hujusmodi*, inquit, *transgreſſiones, magis placent deo, quam jurisjurandi obſervationes; non enim, ſi quis ab aliquo jusjurandum acceperit: quia occidat forſitan, aut adulterabitur, aut aliquid aget tale illicitum: oportet ſervare jusjurandum, utpote cum ſit ita turpe, & illicitum & ad perditionem ducens.*

§ XIII.

Pacta hæreditatis renunciativa, quæ ſuper hæreditate omittenda ineuntur, Jure civili reprobata ac invalida eſſe, ex l. f. ff. d. Suis & legit. hær. conſtat, ſive de propria paciſcentium, ſive de tertii alicujus hæreditate repudianda agatur, l. 15. & l. f. C. d. pact. Speciatim vero quod ad hæc, ea, niſi tertius ille conſenſum ſuum præbeat, in eoque perſiſtat, aut plane incertus atque innominatus ſit, neque hodiernis moribus alicujus momenti eſſe a plerisque cenſentur, Beyer ad J. d. Teſtam. ord. poſ. 6. Stryck. d. S. ab. J. Diſſ. 8. c. 2. §. 7. ſqq. Ratio enim legis, quod ejusmodi pactiones, captandæ mortis votum contineant, triſtisſimique ac periculoſi eventus ſint, hinc bonis moribus contrariæ videantur, æquitatis ſpeciem haud exiguam præ ſe ferre creditur, Carpz. 2. C. 35. D. 17. n. 8. ill. de Berger in Oec. Jur. p. 482. Not. 1. Aſt enim vero, quod captandæ mortis votum attinet, iſtud ſane non ipſi ſemper pacto neceſſario ineſt, ſed ex vitio ſaltem accidentali paciſcentium proficiſcitur, quin & tertio licet conſentiente, eo magis adeſſe poteſt, quo certior hæreditatis captandæ ſpes adeſt; accedit quod tertio ad conſentiendum haud requiſito, vix quicquam præjudicii inde contingat, quippe qui liberam bonorum ſuorum retinet diſpoſitionem, imo triſtes illi & periculoſi eventus qui ideo metuuntur, cuicunque etiam teſtatori & mortis cauſa Donatori, quando hæres, fideicommiſſarius, legatarius aut donatarius, lucrum ſibi extiturum fuerit compertus, imminere poſſunt, quis vero ejusmodi donationes aut teſtamenta eam ob cauſam invalida pronunciabit? Nulla igitur moralis

tur-

turpitudo, nihil rationi naturali adverſum hic reperitur, unde nec dubium, quin conſuetudine probata, hujuſcemodi pactis, efficacia ac virtus ſua merito ſit relinquenda; Stryck. d. S. a. J. Diſſ. 8. C. 12. §. 36. ſqq. & in Uſ. mod. ff. d. pact. §. 15. imo ſi juramentum forte acceſſerit, tale pactum, ſalva conſcientia a renunciante deſeri vix posſit, Stryck. d. C. C. S. 1. c. 3. §. 27. Brunnemm. ad l. f. C. d. pact. n. 16. ſqq. Illa itidem pacta ſuper alterius paciſcentium futura & nondum delata hæreditate (delatæ enim renunciatio, quæ proprie repudiatio dicitur, etiam ſine jurameuto ſubſiſtit, p. l. 95. ff. d acquir. hær. Stryck. de S. a. J. Diſſ. 8. C. 10. §. 54.) omittenda ineuntur, ſi juramento ſint firmata, ex jur. Canonici, ſcil. C. 2. d. pact. in 6to, diſpoſitione, & hodie valida rataque habentur, Carpz. P. 2. C. 35. D. 6. n. 4. Civilis enim legis prohibitionem ſi ſpectes, non alia quam hæc ſubeſſe videtur ratio: quod ſcil. hæreditatis conſequendæ modi, non niſi lex & teſtamentum ibidem ſint conſtituti, Cz. c. l. Def. 17. n. 3. Struv. Exerc. 6. th. 44. unde & in ipſa lege final. ff. d. ſuis & legit. hær. dicitur; privatorum cautionem legum autorite non cenſeri. Quæ tamen ratio, cum Romanorum ſubtilitatibus ſit propria, hodiernis moribus, quæ naturalem magis ſimplicitatem ſequuntur, merito reprobatur, unde & juris Canon. diſpoſitionem hoc in caſu ſequimur, imo in multis provinciis etiam injuratam renunciationem valere teſtantur, Mev. p. 3. Deciſ. 270. Lyncker. Dec. 1414. Dn. de Wernher in Suppl. ad Obſ. for. Part. 2. Obſ. 430. Sane ad Saxonum leges quod attinet, ibi ſimplex tantum renunciatio coram judice aut teſtibus facta ſubſiſtit, Land-R. L. 1. art. 13. huic tamen diſpoſitioni poſtea per C. El. 35. P. 2. qua filiam, paternæ hæreditati renunciantem, derogatum fuit, in qua ut juramentum accedat, neceſſe eſt. Quamvis autem in d. Conſt. ſaltem filiæ renunciantis mentionem fecerit Llator, adeoque ipſius voluntatem ad reliquas etiam fœminas generaliter extendere, juris rationi vix congruum videatur, Dn. de Berger in Oec. J. p. 485. Not. 5. Communis tamen DD. opinio, uſualem & extenſivam ſequitur interpretationem, ita ut tutius omnino ſit, in fœminarum hujuſcemodi renunciationibus,

nibus, indiſtincte jusjurandum adhiberi, Carpz. P. 2. C. 35. D. 7. Stryck. in C. C. S. 3. C. 3. §. 12. Dn. de Berger. c. l.

§. XIV.

Efficacia porro deſtituitur Jure civili Ceſſionis bonorum renunciatio, ubi detentio debitorum in carcere & ſervitute, quam hujus beneficii introductio per l. 1. C. qui bon. ced. avertit, erat prohibita, l. 8. C. d. T. l. 12. C. d. Obl & Act. ibique Gothofred. Not. a. Jure tamen Saxon. uſuque multorum locorum, ubi ad carcerem obligatio valet, imo ipſa in debitorem, ſolvendo haud exiſtentem, incarceratio ſtatuta eſt, validam plærique dicunt hanc renunciationem, Stryck. d. C. C. S. 2. c. 1. §. 39. Schilter Exercit. ad ff. 46. th. 6. B. Menck. ad ff. T. de Ceſſ. bon. §. 3. cf. C. El. Sax. 21. & 22. P. 2. Quoad terras in ſpecie Saxonicas, imminente aut ſuborto Creditorum Concurſu, debitoris obærati incarceratio, tum demum locum invenit, quando ſpatium ſecuritatis, Mandato reg. electoral. de Bancorupt. §. 4. conceſſum, elapſum & amicabilis compoſitio inter creditores tentata, fruſtranea extitit. Competentiæ quoque beneficio, huic affini, tam Saxonico quam civili Jure, ob generalitatem l. 29. C. d. pact. valide renunciari poſſe non dubitandum, niſi alicui ob reverentiam aut ſanguinis nexum, ut patri, marito &c. datum ſit, l. 14. §. 1. ff. fol. matr. ibi enim talis renuntiatio bonis moribus contraria dicitur, unde ad alias perſonas, ut ſocium, donatorem &c. hæc prohibitio extendi nequit. Carpz. P. 1. C. 32. D. 19. Stryck. in Diſſ. de jure Reverent. ejusque effectu Spec. 3. n. 2. Barth. in Hodog. For. Cap. 3. §. 28. nor. a. Id præterea monendum, beneficii competentiæ renunciationem licet ab initio validam, ex poſtfacto tamen, orto ſcil. Creditorum ad renunciantis bona concurſu, ſuum perdere valorem, eo quod ex particulari negotio, judicium & cauſa univerſalis nunc facta, ubi non ſingulorum, ſed totius Creditorum univerſitatis jura & commoda conſiderantur, a. l. 7. §. 1. ff. quod cuj. univ. noe. adeo ut omnium creditorum utilitas, unius alteriusve particulari ſaltem lucro, omnino ſit anteponenda. Atque huic prorſus funda-

fundamento innititur dispositio Saxonica §phi 4. des Bancorou-tier-Mandats, ubi Potentissimus expresse statuit: incarcerationem debitoris cambialis, arresto nondum detent, etiamsi huic securitati in cambio renunciaverit, nihilominus per aliquod temporis spatium suspendendam esse, eo magis, quo facilius universi concursus emolumentum, hac levi indulgentia promoveretur. Hoc igitur argumento, de communi Concursus commodo, particulari unius lucro præferendo, & illam de competentiæ beneficio sententiam stabilire licebit, cum utroque in casu rationis paritas deprehendatur, imo & pristinæ hujus beneficii renuntiationi tacita hæc inesse videatur conditio: si in eodem statu & causa permanserit obligatio debitoris, per l. 38. pr. ff. de Solut. quæ tamen, uti dictum, concursu moto, aliam longe induit naturam, antea enim solo cum debitore creditori res erat, jam vero pluribus concurrentibus creditoribus, totius quoque universitatis juribus sese ut accommodet, necesse est; eamque hac de re sententiam pronunciando amplexam fuisse Fac. Jur. Lipс. M. April. 1726. testatur B. Menck. in ultimo programmate ad exercit. disputat. Gymnasii polem. conscripto, quo dictas rationes pluribus exposuit, quibus addimus: quod prouti debitoribus dolo culpave lapsis, hoc beneficium plane negatur in O. P. S. R. Tit. final. §. 3. ita reliquis qui vitio fortunæ ad incitas devenerunt, non attenta renunciatione, ex æquitate & misericordia istud merito sit relinquendum. c. l.

§. XV.

Cum renunciatio, ut actus moralis, legibus undique confirmis fieri debeat; §. 12. civiles autem leges peculiares ob rationes, uni alterive negotio peragendo, certas quandoque solennitates præfiniverint; hinc & in renuntiatione valida, earundem omnino habenda est ratio. Eandem vero solennitatem quæ ad principale negotium requiritur, & in accedente renunciatione adhiberi necesse est. vid. supra §. 3. Facile hinc patet, quid de renunciatione beneficii Curatoris a fœmina contrahente facta, judicandum sit, de cujus valore vel verbum facere piget,

cum totius principalis negotii validitas ex Curatoris auctoritate pendeat.

Ita omnino valore destituitur pactum uxoris cum marito non interveniente Curatoris autoritate initum, quo portionis statutariæ lucro renunciavit. Dissentit equidem Carpzov. P. 3. C. 7. D. 15. putativa hac ratione innixus: quia scil. uxor hoc casu non juri perfecte quæsito, sed lucro tantum futuro renunciaret. Verum enim vero satis lubrica videtur hæc distinctio, sufficit enim jus ad istud lucrum consequendum, certum ac in præsenti quæsitum esse, ejusque abdicatione uxoris aliquando successuræ conditionem maxime deteriorem reddi. Summa legum Saxonicarum ratio, qua uxorum conventionibus, Curatoris adhibendi necessitatem præfinunt, in eo maxime vertitur: ne amore aut reverentia maritali inductæ, jurium atque bonorum suorum jacturam facile incurrant; unde in Decis. El. 24. expresse cavetur: in contractibus uxorum cum maritis, aut in commodum eorundem celebratis, alium omnino Curatorem esse adhibendum, vid. Philipp. ad. d. Dec. Obs. 6. quod & ipse Carpzovius ad Const. El. 15. P. 2. Def. 23. jam docuit. Neque ullum discrimen inter bona jurave uxoris præsentia atque futura, certa spe radicata, constitutum legitur; sufficit uxorem utroque casu, sive præsens, sive futurum jus amittat, æquale detrimentum incurrere posse. Accedit, quod nec donationem remuneratoriam ab uxore sine Curatoris consensu, marito factam, validam statuat Carpzovius P. 2. C. 13. Def. 5. qui igitur talem renunciationem, rem maximi præjudicii, quamque donationis naturam habere ait l. 1. ff. d. transact. validam potuit pronunciare? Nullius certe valoris æstimanda venit, ni & salutaria curatoris consilia, uxori & portionis suæ quantitatem, & insignem ex renunciatione venientem jacturam ob oculos ponentia accesserit; quam quidem sententiam Responso Fac. jurid. Vitteb. confirmat ill. Dn. de Berger in Oec. Jur. p. m. 471. Not. 4. eamque & Ampliss. Fac. Jur. Lipс. M. Febr. 1725. placuisse, testatur sequens a Consultiss. Dno. D. Kæstnero nobis communicatum Responsum: Dennoch aber und dieweil das Eheweib, der Erbschafft und aller ihrer weiblichen Gerechtigkeiten daran sich begeben, und

der-

dergleichen bedenckliche renunciation und actus, daher der renuncirenden Weibes-Person ein nicht geringes præjudiz erwachsen kan, ohne Beyseyn eines Curatoris und dessen Authorisirung nicht verrichtet werden mag, vielmehr wenn solches ohne Beyseyn des Vormunden geschehen, vor null und nichtig zu achten; So ist diesem ungeachtet A. L. hinterlassene Wittibe, aus ihres Ehemannes Verlassenschafft, portionem statutariam annoch zu fordern wohl befugt.

Ita porro Donator, donationem 500. solidos excedentem, (quorum quilibet Aurei Hungarici s. Ducati, scil. 2. Rthlr. 18. Gr. pretio constat, a. P. 2. C. El. 14. & 12. uti pron. Scab. Lips. in caut. J. C. R. Credit-Wesen betrl. Mens. Oct. 1731.) judicialiter insinuandam curet, atque huic solennitati, sine qua totus actus ipso jure est nullus, renunciare nequit. Stryck. d. C. C. S. 3. c. 9. §. 5. Et quanquam accedente jurejurando, ex principiis Jur. Canon. omnino servanda sit hæc renunciatio; vid. illustr. Dn. de Bœhmer in Jur. Eccl. Protest. L. 2. T. 24. Stryck. c. l. attamen in Saxonia El. etiam jurijurando hoc casu valor denegatur per Decis. El. 26. Idem dicendum de solennitatibus in testamenti confectione adhibendis, l. 31. C. d. Testam. l. 55. ff. d. legat. ibique Gothofred.

§ XVI.

Validitate porro destituitur renunciatio l. f. C. d. revoc. donat. a donatore facta, Carpz. Dec. 123. n. 5. Stryck. d. C. C. S. 3. C. 9. §. 7. Schœffer Synops. jur. d. Donat. in fin. Communis tamen ratio, quia nimirum hoc casu donatario delinquendi occasio præberetur, mihi vix calculum mereri videtur, ordinaria enim via, remedium scil. actionis injuriarum & delationis judicialis donanti adhuc suppetit, vi cujus ingratitudinis crimen vindicare potest. Mihi potius hujus rei decisio ex regula supra §. 3. præstructa, qua renunciationem accessoriam, principali contrahentium intentioni repugnantem, invalidam & quasi non adjectam haberi monstravimus, petenda videtur. Scil. donatio simplex (de remuneratoria enim sermo non est, quippe quæ ob ingratitudinem revocari nequit, B. Menck. ad ff. d. Donat §. 18.) ea mente in aliquem confertur, ut donantis benignam liberalitatem,

tatem, grato animo agnoſcat ac proſequatur; magis enim collata liberalitas ad gratitudinem inclinare, quam ad inſolentiam erigere deberet donatarium; l. 1. C. d. rev. don. poſtea vero, dum neglecto hoc pietatis officio, facinus a l. f. C. d. T. notatum in donantem admittit, ceſſante hujus intentione, ipſo quoque jure talis benefacti indignum ſe reddit, ideoque non obſtante renunciatione, quæ tacitam conditionem: ſi gratus extiterit donatarius, continere præſumitur, munere collato, communi JCtorum applauſu, a donante iterum privari poteſt. Verum enim vero juramenti adjectionem & hoc caſu renunciationem validam & donationem irrevocabilem efficere, cum Carpz. Deciſ. 123. n. 14. ac Brunnem. ad d. l. f. C. d. rev. don. autumamus, quanquam aliis, uti Schœpffero in Synopſ. Jur. d. Donat. in fin. ſuſpecta hæc videatur ſententia, ob vulgarem ſupra adductam rationem, quæ tamen jam exploſa fuit, cum occaſio delinquendi, etiam non facta Donatione donatario exiſtere, ipſum vero delictum alia adhuc via quam donati revocatione coerceri poſſit, adeo ut jusjurandum ex juris Canon. diſpoſitione hic omnino ſit ſervandum.

§. XVII.

Obſervatis itaque tribus hucusque evolutis regulis, non dubium, quin libera cuilibet ex l. famoſa 29. C. d. Pact. & l. 41. ff. d. Minor. juri pro ſe introducto renunciandi competat facultas, atque ad ſemel renunciata amplius non detur regreſſus, l. 41. §. 9. ff. d. ædil. ed. Cœterum vero ſtrictiſſimæ interpretationis eſſe dicitur renunciatio, adeo ut a perſona ad perſonam non trahatur, nec a cauſa ad cauſam extendatur, l. 21. C. ad SCtum Vellej. l. 31. C. d. Transact. Dalner. Tr. de Renunciat. C. 1. §. 55. Lyncker. Deciſ. 435. imo nec præſumatur neque ex actu proximo, ſed probanda evidenter, l. 35. §. 2. C. d. inoff. Teſt. cum nemo adeo reſupinus ſit, ut pecunias ſuas facile jactet, l. 25. ff. d. probat. nec ulla ratio veriſimile reddat ut quisquam beneficium ſuum facile ſine magna cauſa ſua ſponte reſignet, Cap. 5. X. de renunc. Inde DD. ex l. all. 35. §. 2. C. d. inoff. Teſt. concludunt, renunciationem hæreditatis generalem, ideo non excludere

dere legitimæ aut dotis congruæ petitionem, cum generalis renunciatio, ſpecialia haud tollat privilegia, a l. 4. §. 4. ff. ſi quis caut. Richter Deciſ. 69. n. 15. Brunnem. ad l. 35. §. 2. C. d. inoff. Teſt. Struv. JPR. R. G. L. 2. T. 34. §. 5. niſi juramenti acceſſio, ſpecialis hujus beneficii uſum prohibeat, Carpz. P. 2. C. 35. D. 16. Brunnem. all. l. n. 18. aut ſpeciatim quoque legitimæ fuerit renunciatum.

§. XVIII.

Verum enim vero, ſive jurato ſive injurato, (modo loci conſuetudo, ut Saxonum mores in filiis, id permittat) ſive generaliter hæreditati, ſive ſpeciatim quoque legitimæ renunciatum fuerit, ego nunquam hujus petitionem locum habere poſſe exiſtimaverim; ratio enim adverſa, quod ſcil. hæreditatis renuntiatio generalis & odioſa, hinc reſtringenda potius quam extendenda videatur, hoc caſu, ubi tot diverſimoda, de quibus renuncians probabiliter non cogitaſſet, haud concurrunt jura, vix ſtringit, eaque hic admiſſa, etiam exhæredato & illi quem pater ab hæreditate ſua in genere juſto modo excluſit, legitimæ petitio adhuc foret concedenda, cum non ſpeciatim ab hac, ſed generaliter ſaltem ab hæreditate fuerit excluſus, prætereaque magis odioſa ſit exheredatio, ipſa hæreditatis renuntiatione ſponte ſuſcepta; quem vero jurisperitorum latet, talem exhæredatum nec minimam legitimæ particulam ſibi vindicare poſſe? qui enim jus ſuccedendi ab inteſtato amiſit; ille nec ad legitimæ petitionem admittendus eſt, Brunnem. ad l. 8. C. d. inoff. Teſt. n. 3. Cumque hæreditas jus quoddam univerſale & legitima pars ejus dicatur l. 62. ff. d. Reg. jur. l. 6. C. d. inoff. T. in toto vero partem contineri l. 113. ff. d. R. J. & generalibus ſpecialia ſemper ineſſe l. 147. ff. eod. nemo fit qui ignoret, apodictica ſane inde naſcitur veritas, filium qui univerſæ patris hæreditati renunciavit, nec tertiam vel quartem ejus partem poſſe, vid. Stryck. de Succeſſ. ab Int. Diſſ. 8. Cap. 10. §. 63. Ludovici ad ff. de Teſtam. §. 6. Certe contra objectio L. 35. §. 2. C. d. inoff. teſt. huc parum facit,

facit, ibi enim dicitur: Filium, quamvis legatum infra legitimam quantitatem, a patre sibi relictum, post ejus mortem acceperit, nihilosecius ejus, quod legitimæ deest supplementum adhuc petere posse, cum nulla, ne quidem tacita, hic intercedat renunciatio; quis autem maximam hujus, ab illo nostro casu, non perspicit diversitatem, cum hic nulla plane, ibi vero expressa renunciatio adsit; & miror, dissentientes plerosque ac inter eos Brunnem. ad d. l. 35. n. 18. filiam hæreditati jurato renunciantem a legitimæ quidem petitione excludere, aliis vero simpliciter renunciantibus eandem adhuc concedere; cum tamen ex supra dictis pateat, simplicem hæreditatis renunciationem, iis in locis ubi recepta, (ut in Saxonia in filiis) idem operari ac juratam, Carpz. P. 2. C. 35. D. 8. proinde eadem utroque casu militet ratio, sive jurato, sive absque juramento renunciatum fuerit, indeque salva maneat sententia: eum, qui ab universa hæreditate sese abdicavit, nec ad legitimæ portionis petitionem posthac admitti. cf. Giphan. de renunciat. Cap. 6. pag. 50.

§. XIX.

Hucusque dicta, ad legitimam saltem restringenda, non dotis petitionem proferenda esse, facile patet, dos enim, cum vivo adhuc patre peti queat, paternæ hæreditatis pars dici non potest, Giphan. c. l. pag. 47. nec in ea successio est, Berl. P. 2. C. 43. n. 18. sed filia etiam successionis incapax eandem consequitur l. un. §. 11. C. d. rei ux. act. quin & a legitima, quæ ex alio plane capite debetur, valde discrepat, Kellenbenz d. renunciat. Success. Qu. 2. n. 41. unde non obstante generali filiæ renunciatione, salva ac integra ipsi dotis petitio manet, arg. Cap. 2. d. pact. in 6to. Mævius ad Jus Lub. P. 2. T. 2. art. 34. n. 23. Gallerat de renunciat. T. 2. Cent. 1. Renunc. 51. n. 2. add. l. 11 [illegible] inoff. Testam. ibique Godofred. Eorum tamen sententiæ, qui, dote ab initio non constituta, nullam statim dicunt renunciationem, subscribere haud possumus; cum [illegible]atio nullibi ad essentialia hujus renunciationis requisita [illegible]dem adhuc dotem peti posse; Stryck. de S. a. l. 2. c. 1. 8. [illegible] 24. Giphan. d. l. C. 2. pag. 53. Ludovici ad ff. de Te[illegible]l. 6. Ita [illegible] nec filiæ aliisve

Diss. jur. Civ. 430,30.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/77
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id36330746X/78
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft